19.g.127.

BERNARDI PREYSINGER

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

DIAGNOSI MORBORUM CAPITIS.



VIENNÆ,

TYPIS JOAN. THOMÆ TRATTNER,

AULAE TYPOGR. ET BIBLIOPOLAE.

M. DCC. LXIV.

9671

B. L.

Maximam Tyroni practico difficultatem parere ſolet Diagnosis *morbi, ejusque ſpeciei formanda, nec ii, qui jam in praxi adoleverunt, hac immunes ſunt: Chaos ſymptomatum, ac querelarum ab ægro prolatarum, confuſa enarratio applicatarum ante morbum contractum cauſarum, obſcurior decurrentis morbi deſcriptio, hæſitantem reddunt tyronem, qui non ad artis ignominiam curam ægri ſuſcipere contendit.*

Morbus determinandus eſt, ſpecies aſſignanda, & ſigna, quibus id præ-

ſtare conatur, tam multiplicia ac confuſa ſunt, ut ſæpe quo ſe vertat, ignoret. Recurrens ad eam doctrinam, quam in ſcholis a ſuis Præceptoribus hauſerat, ob multitudinem ſignorum dubius adhuc manet; recurrens ad Authores practicos, tantam in deſcribendis morbis differentiam invenit, ut, quorſum ſuum referat, neſciat; nec ſemper tempus illi utrumque faciendi conceſſum eſt. Optat hinc ea ex ſuis collegiis, ex Authoribus probatis, ac fide dignis jam collecta poſſidere ſigna, quæ cuilibet morbo propria ſunt, quæ eum a quocunque alio ſeparant, quæ ſpeciem morbi determinant.

Hanc perpendens difficultatem, ſylvam ejusmodi ſignorum ad meos uſus mihi comparavi, partemque ſpeciminis inauguralis loco prodere auſus fui.

Mor-

Morbos capitis & nervorum plurimos, quoad ſuas ſiſto diagnoſes, dedi morbi cujuslibet definitionem genuinam, ſigna recenſui, ac ea, quibus is a morbo affini diſtingui queat, attuli, ſpecies plures ac præcipuas adjunxi, easque a ſe invicem diſcrevi: Methodum plurima ex parte ſecutus ſum clariſſ. Sauvages, *quam is in Noſologia methodica noviſſime edita proponit, nec tamen ita ſcrupuloſe, ut non ab ea hinc inde receſſerim; finis enim cl. Viri alius fuit, ac mens, is methodo Botanica deſcribere morbos conatus fuit, regulasque ſibi ipſi poſitas ſequi debuit, ego ad uſum tantum meum omnia ordinavi, unde regulis a cl.* Sauvages *datis, non ita me adſtrictum eſſe cenſui; ſpecies etiam a cauſis, ſeu principiis latentibus, utcunque tamen per probabilia*

 ſigna

ſigna cognoſcendis, *quoque deſumpſi*, *quod evitare* Sauvages *promiſit*. *Deſcriptiones e probatiſſimis deſumpſi Authoribus* Sydenhamo, Boerhavio, *illuſtriſſimo Barone van* Swieten, *aliiſque*; *&* *ut quendam ſervarem ordinem*, *ad ſequentes claſſes meos morbos reduxi*: I. *prebendit morbos ſoporoſos*; II. *morbos paralyticos*; III. *morbos convulſivos & ſpasmodicos*; IV. *morbos veſanos*; *& ultimo demum inſtar additamenti egi de dolore capitis*.

Forte quibusdam ſpecies ſtatui plures ac neceſſe, *forte aliis nimis contracta earum enarratio videtur*, *utrique tamen errori B. L. veniam commodaturum ſpero*, *ſi perpenderit*, *opuſculum hoc a tenui artis tyrone*, *non conſummato Practico exaratum fuiſſe*.

CA-

CAPUT I.

DE DIAGNOSI MORBORUM IN GENERE.

Evidens cognitio morbi præſentis diſtinctiſſimi ab omni alio, vocatur *Diagnoſis* in Medicina (a)

A 4 Hu-

(a) Illuſtriſſimus B. van Swieten in Comment. §. 27.

Hujus fundamentum duplex habetur. (b)

Primum eſt " cognitio cauſarum phy-
" ſicarum prægreſſarum, quæ ſemper
" antea hunc morbum feciſſe deprehen-
" ſæ ſunt. "

" *Alterum* eſt cognitio morbi in ſua
" natura & effectis præſentibus. "

Cauſæ morborum in ſcholis diſtinguuntur *prœgumenæ*, & *procatarcticæ*:

Priores ſunt, quæ prius corpori inhærentes id aptum reddunt ad ſuſcipiendum morbum.

Poſteriores ſunt occaſiones prædiſponenti ſupervenientes, & hanc excitant, ut una morbum pariant.

Diſtinctionem, ut ait GAUBIUS (c) docuit obſervatio, qua conſtat non omnes homines ab iisdem rebus æquabiliter

(b) Illuſtriſſimus B. van SWIETEN in Comment. §. 27.

(c) In Inſtitut. pathol. §. 59.

liter affici, & valetudinarios proprio regimine ſervari incolumes.

Hæ ſimul unitæ cauſam proximam conſtituunt (d) " Cujus præſentia, ut " ait BOERHAAVE (e). ponit, con" tinuat morbum. " Hujus abſentia eum tollit: " Eſt fere idem ens ipſi in" tegro morbo. Hinc inquiſitu utiliſſi" ma, maxime neceſſaria. "

Firmam igitur formabo Diagnoſim morbi, ſi eam cauſam proegumenam adfuiſſe, eamque procatharcticam fuiſſe applicatam, quæ ſemper antea hunc morbum feciſſe deprehenſæ ſunt. Ex. gr. dignoſco morbum eſſe Apoplexiam, non ſomnum profundum, ſi ſcio hominem habere caput magnum, collum breve, corpus craſſum; eumque calori ſolis ſe expoſuiſſe, aut ſtimulantia ingeſſiſſe, mo-

(d) Illuſt. van SWIETEN §. II.
(e) In Inſtitut. §. 740.

tumve magnum, quo humores caput copioſius petere debent, inſtituiſſe; quia conſtans obſervatio eſt, tali facta diſpoſitione, & dictis cauſis applicatis apoplexiam fuiſſe ſecutam.

Nec ſemper neceſſe eſt ambas præceſſiſſe cauſas, ſiquidem quandoque ſola prœgumena nimium increſcens, morbum ponit, ſe ipſam quaſi excitando. Igitur in valde plethorico, qui eam minuere neglexit, nulla cauſa procatarctica accedente (niſi cauſas ipſas augmentum ponentes pro ea ſtatuere velis) apoplexia, aliusve morbus oriri valet, quod confirmat Hippocrates: (f) " *In exercitantibus boni habitus ad ſummum progreſſi periculoſi ſunt, ſi in extremo fuerint. Non enim manere poſſunt in eodem, neque quieſcere. Quum* ve-

(f) Aphor. 3. Sect. I.

" *vero non quieſcant, non amplius in melius*
" *augeſcere poſſunt, reliquum eſt igitur, ut*
" *in deterius.* "

Idem de cauſa procatarctica verum eſt, quod nempe hæc ſubinde ſola nulla præcedente proegumena morbum producat, præprimis ſi externa fuerit, ſola contuſio, ictus &c. capitis ſufficit ad apoplexiam, vel hemiplegiam &c. producendam in quocunque ſubjecto, etiam ad dictos morbos non diſpoſito; Gas ſylveſtre naribus hauſtum fere quemcunque proſternere apoplecticum, vel paralyticum reddere poteſt: ſi igitur ſcit Medicus, ejusmodi cauſam proegumenam ſolam, vel ſolam procatarcticam in certis circumſtantiis ſemper producere hunc morbum, eamque ægro huic adfuiſſe, veram inde morbi Diagnoſim deducet.

Alterum Diagnoſis fundamentum eſt cognitio morbi in ſua natura, & effectis præſentibus;

Natu-

Natura morbi, qui ſenſibus patet, per eos cognoſcitur: ſed morbi tecti natura cognoſcitur, quando cognoſcuntur effectus facti ab hoc morbo, ut cauſa.

Effectus certe ingenium ſuæ cauſæ declarant.

Ita inflammationem externam ſenſibus, internam effectis ab inflammatione non percipienda pendentibus dignoſcitur.

Effectus facti a morbo ut cauſa dicuntur ſymptomata morbi ei nexu indiſſolubili juncta, adeoque ultra eum non perſiſtentia.

Hæc probe diſtinguenda ſunt a ſymptomatibus cauſæ, & ſymptomatibus ſymptomatum.

Priora a cauſæ morbum producentis potentia multiplici dependent, quarum una ad morbum, altera ad hoc ſymptoma producendum concurrit;

Poſte-

Poſteriora nempe ſymptomata ſymptomatum, quæ a viribus ſymptomatum procreantur;

Equidem ambo & ſymptoma cauſæ, & ſymptoma ſymptomatis ſæpe multum ad genuinam morbi Diagnoſim conferre poſſunt, non tamen tantum, quantum ſymptoma morbi, utpote ab eo inſeparabile.

Porro Phænomena accidentalia a dictis bene ſeparanda ſunt; utpote quæ cum cauſa, morbo, horumque ſymptomate plane non connexa ſunt, ſed a rebus non naturalibus tempore morbi applicatis originem ducunt, adeoque ad Diagnoſim nihil faciunt.

Nec non conamina naturæ propriam ſalutem propugnantia cum ſymptomatibus morbi vere talibus confundenda, ſtatum potius morbi deſignantia, nec ſemper illi præſentia.

Opti-

Optima & tutiſſima igitur a ſymptomatibus morbi Diagnoſis petitur:

Teſtantur enim morbi præſentiam non modo, ſed & naturam.

Sunt hæc vel perpetua, vel temporaria; atque ex triplici hauriuntur fonte;

Ab *actionibus*, *excretis*, & *qualitatibus ſenſibilibus*.

Horum nempe receſſus a ſtatu ſano major, minor, multiplex eorum conjunctio, morbum determinant, eumque ab aliis diſtinguunt.

Diagnoſis non tantum cognitionem morbi prehendit, ſed & cognitionem ejusdem ſpeciei;

Morbus enim genere idem, plures, minoresve ſub ſe prehendit ſpecies a ſe invicem æque diſtinctas, ut morbus a morbo.

Eſt hæc morbi Diagnoſis individua in praxi, ac æque neceſſaria, quam Diagnoſis generica morbum a morbo diſtinguens.

Fon-

Fontes Diagnoſeos ſpecierum iidem manent, quæ generum; Cauſæ nempe antegreſſæ, natura & effectus ſpeciei morbi:

Igitur regulæ mox datæ etiam huic Diagnoſi applicari debent

Utriusque Diagnoſeos ſpecimen de morbis capitis dare, ſequentibus conabor, ſit igitur.

CAPUT II.

DE DIAGNOSI MORBORUM CAPITIS.

CLASSIS I,

agens de morbis ſoporoſis.

I. APOPLEXIA

Eſt abolitio omnium actionum animalium, ſuperſtitibus vitalibus, imo his auctis.

Cogno-

Cognoſcitur: ſomno profundiſſimo vix excitabili, pulſu forti, reſpiratione difficili, magna ſtertente, & artuum laxitate.

Differt:

I. a Parapoplexia, *In qua indicia quædam ſenſus, motusve habentur, adeoque gradu.*

II. a Caro, *Quod in apoplexia reſpiratio magis ſtertoroſa, ſomnus profundior ſit; & effectus læſarum quarundam cerebri functionum remaneat.*

III. a Lethargo, *in quo ſomnolentia obliviosa eſt ex cauſa frigida orta, excitatio facilis.*

IV. a Comate, *Excitatio adhuc facilior eſt, excitatique ſui compotes ſunt.*

V. a Somno profundo *differt per cauſas prægreſſas excitationem faciliorem, & reſpirationem minori cum molimine peractam.*

VI. a Temulentia, *Ex adſtantium relatione, vini vomitione, odore vinoſo, & a poſteriori ſolutione crapulæ ſpontanea dignoſcitur.*

VII. a Syncope, *In quo vires vitales quoque ſunt imminutæ, & læſæ.*

VIII. Catarrho ſuffocativo, *Ubi reſpiratio plus læſa eſt, ſuffocativa, pulſus tardus, debilis, inordinatus, atque æger mente conſtat.*

IX.

IX. Catalepſi, *Catalepticus enim eundem ſitum corporis, artuumque flexilitatem retinet, placideque reſpirat, nec omnium ſemper ſenſuum actione deſtitutus eſt.*

X. ab Epilepſia, *In qua ſenſus quidem aboliti ſunt, at corpus ſimul convellitur.*

XI. in Typhomania, *Æger per cauſam internam a ſommo excitatur, ſæpe cum motu convulſivo.*

XII. in Hemiplegia, Paraplegia *Senſus interni, nonnullique externi paſſim perſiſtunt.*

SPECIES.

I. *Sanguinea,* ubi plethora præſente à quibuſcunque cauſis ſanguis rareſit, aut validius movetur. Prævidetur dolore capitis, ſonitu aurium citra febrim, ſcotomia voce tarda, manuum torpore &c. *Dignoſcitur* facie florida, calore corporis magno, pulſu pleno, cauſis prægreſſis, hæc præcipue illis frequens eſt, qui collum breve, caput magnum, ventrem turgidum habent.

II. *Sanguinea topica,* ab impetu humorum ad cerebrum aucto, refluxu ve-

noſi ſanguinis impedito. *Cognoſcitur* iiſdem quibus ſanguinea in genere, maxime vero cauſis prægreſſis, cantu, riſu, nixu, ventris preſſione aut & venarum jugularium &c.

III. *Inflammatoria*, a ſanguine phlogiſtico orta: *Noſcitur* ingenti cephalalgia, febri acuta continua phrenitide prægreſſa, & ſummis illis furoribus ſuccedente ſomno profundo, ipſaque tandem apoplexia brevi lethali (a) cum facie ex atro rubra, tumente inflammatione oculorum, lacrymis involuntarie prægreſſis, atque pulſu magis duro.

IV. *Pituitoſa*, *ſeroſa* a ſero non abſorpto cerebrum premente, vel a defectu materiæ ad ſecernendos ſpiritus aptæ: *Noſcitur* prægreſſis ſignis pituitæ &c. hebetudine ſenſuum, ſomnolentia, pigritia ad motus, vomitualis materiæ &c. præ-

(a) Illuſtriſſimus L. B. van Swieten in commentariis ad §. 1010 N. 2. litt. β.

præſertim ſi id in ſenibus, pallidis, humidis, catarrhoſis, ſedentariam vitam agentibus, (b) tempeſtate humida contingat; ea vero ſemel nata pallet facies atque tumet, corpus friget &c.

Huc etiam ea refertur ſpecies, quæ ſpirituoſa vocatur.

V. *Polypoſa* a cordis, majorumve vaſorum polypo parti ſuperiori curvaturæ aortæ applicato, ingreſſum ſanguinis per ramos ſuperiores impediente, ſpatium vero ſanguini per aortæ truncum verſus inferiores partes ituro, concedente. *Cognoſcitur* ſignis perpenſis polypi, uti palpitatione perpetua cordis, pulſu inæquali ſæpe intermittente, ab aucto motu, ſanguineque rarefacto increſcentibus, atque dein vertigine, ſcotomia accedentibus: (c)

(b) Idem loco citato litt. γ.
(c) Idem loco citato litt. ω.

VI. *Atrabilaria*, ultimo præprimis melancholiæ gradu frequens; ſignis atræ bilis prægreſſis, cauſisque eam moventibus cognoſcitur.

VII. *Traumatica*, quæ a capitis ictu, vulnere, contuſione, fractura, lapſu ex alto, vel inflammatione, ſuppuratione, fungoſa excreſcentia oritur. *Noſcitur* hæc ex nota cauſa, ejus impetu, loco excipiente, vomitu bilioſo dum ad ſe redeunt, humore per os, nares, aures effluente, rubore faciei & oculorum &c. (d).

VIII. A Ruptura, vel eroſione vaſorum, & inde ab effuſis humoribus nata, Hippocrati *Vehemens* vocata (e). *Dignoſcitur* a copia, vel acrimonia ſanguinis præſente, applicatisque iis, quæ valide motum humorum augent, eosque rare-

(d) Boerhaave in ſuis aphor. §. 275.
(e) Illuſtr. Commentator. l. c. N. 4.

rarefaciunt, conſuetas evacuationes ſupprimunt, vel depoſitionem materiæ morboſæ ad loca ignobiliora impediunt.

IX. A venenis, gas ſylveſtri, carbonum vapore, atmoſphæra ædificiorum recens exſtructorum recluſa; opio, hyoſciamo, a venenato mineralium examine chemico plus juſto torſorum halitu, teſte ipſo *Helmontio* (f). *Diagnoſis* patet ab his cognitis reliquiſque cauſis abſentibus.

X. *Idyopathica* ex his, quæ paroxiſmum antecedunt cognoſcenda: ſive cauſæ ſint, ut vulnus, ictus &c. ſive ſymptomata, v. g. dolor capitis pertinax, tinnitus aurium, carebaria, difficile functionum animæ exercitium, lapſus memoriæ, ſomnolentia, tremor & ſimilia.

(f) De Lithiaſi Cap. IX. §. pag. 73. pag. 725.

XI. *Symptomatica* v. g. a pituita in ventriculo hærente, qua excuſſa ſolvitur apoplexia (g), vel ab affectione inteſtinorum &c. Vitiis harum partium antegreſſis intelligitur.

XII. *Metaſtatica* exanthematibus retropulſis, ſcabie, herpete, eryſipelate, variolis, materia ſcorbutica, arthritica, (h) urina, alvo, hæmorrhoidibus, catameniis, fluxu ulceroſo &c. impeditis. *Diagnoſis* hujus ſpeciei ex ſedula indagatione in cauſas antecedentes facta obtineri poteſt.

XIII. *Hyſterica*, quæ a principio hyſteriæ capitis arcem occupante oritur (i) fruquens confeſtim a partu, magna ſangeinis vi ſimul ejecto, & vel partui laborioſiori, vel vehementiori alicui animi commotioni debetur. Quibus intellectis

(g) Illuſtr. van Swieten in comment. ad §. 1017.
(h) Muſgrave de arthritide anomala C. 15.
(i) Sydenham in Diſſert. epiſtol. p. m. 409.

ctis, ſubjectoque, ac temperamento cognitis, morbi diagnoſis facile innoteſcit.

XIV. *Epileptica* ſi profundior ſomnus fuerit paroxyſmum finire ſolens, ac diutius ſolito protractus (k). Datur quoque epileptica apoplexia, quæ ab inſultu epileptico breviſſimo initium ducit, quæ quadam levi vix conſpicua convulſione ſtipatur, quandoque in mandibula, digito, vel abdomine detegenda, uti tale quid *Hippocrates* jam indicaſſe videtur (l).

XV. *Febrilis*, quæ paroxyſmum febris remittentis aut intermittentis comitatur, cujus ſigna prænuncia juxta celeberrimum *Werlhoffium* (m) ſunt. 1. in primo vel ſecundo paroxyſmo præcedit ſomnolentia, ſtupor ſenſuum, delirium. 2. urina craſſa, ſubfuſca, ſubnigra, fœtens cum fre-

(k) Illuſtr. L. B. van Swieten §. 1015.
(l) libro de glandulis.
(m) in tractatu de febribus pag. 22 - 27.

quenti micturitione, dyſuria, aut ſtranguria prodiens. 3. Sanguis extractus floridus cum copioſo ſero virideſcente vel variegato, quandoque cum cruſta phlogiſtica, quandoque vermiculos exhibens. 4. dolor hypochondriorum, vel 5. cardialgia: his ſi cauſæ antegreſſæ addantur, calidiora remedia exhibita, hæmorrhoides, ſcabies &c. ſuppreſſæ, errores in victu commiſſi, bilis acris, purgans ſiniſtre adhibitum &c. Diagnoſis habetur.

XVI. *Periodica*, ubi ſub larva apoplexiæ febris intermittens latet; urina lateritia, periodo dignoſcenda, uti hoc latius apud *Sydenhamum*, *Huxham*, & *Morton* videndum eſt.

XVII. *Gravis*, *levis* a ſymptomatum vehementia tales dicuntur; levis potius ad parapoplexiam pertinet.

II. PA-

II. PARAPOPLEXIA.

Eſt apoplexia levis, in qua ægri a validiſſimis rebus in organa ſenſuum agentibus, utcunque adhuc affici videntur, in quibuſdam partibus adhuc aliquod conamen ad motum ſupereſt, adhuc deglutiunt illa, quæ ori infunduntur.

Differt:

I. ab Apoplexia *vere tali ſolummodo gradu,*
II. a Caro *vero* & Lethargo *per excitationem in parapoplexia vix poſſibilem* (n).

Species

Eædem fere ſunt, quæ apoplexiæ & ex iisdem ſignis diſtinguendæ.

III. CATAPHORA.

Coma ſomnolentum, hypnodes, comatodes, Subeth, Avicennæ.

Eſt ſopor præternaturalis fere continuus, a quo æger vel ſponte vel a cau-

(n) Illuſtr. L. B. van Swieten §. 1045.

ſis externis excitatus, oculos aperit, interrogatis reſpondet, ac mox in ſomnum relabitur.

Differt:

I. ab Apoplexia, *quia cataphoroſus non adeo ſtertit, facile excitatur.*

II. a Caro, *nam caroticus vix unquam ſponte, & a cauſis externis longe difficilius excitatur.*

III. a Lethargo, *lethargici a ſomno excitati hebetes ſunt oblivioſi, interrogatis haud apte reſpondent.*

IV. a Somno naturali *profundo per cauſas antegreſſas differt.*

V. a Comate vigili *ſeu Typhomania, in qua ægri ſponte ac ſæpius cum terrore convulſione excitantur.*

Species

Coma I. *Chronicum,* quando eſt habitudo dormiendi interdiu, ultra quam ætas fert, dum interim ſat bene valent: eſt autem morboſum, ſi excitati quidem reſpondent, at mox iterum in ſomnum recidant,

eum-

eumque longius protrahunt ad dies, ſeptimanas, imo menſes quos dormitant. Facies in his pallida ſolet eſſe, pulſus rarus, artus flaccidi, mortuis ſimiliores; ſenes hoc frequenter corripiuntur morbo, ac lentor humorum ſæpe accuſandus eſt (o).

II. *Febrile* a multis cauſis pendens diverſis ſæpe & contrariis (p) in febribus tum continuis, remittentibus (q) tum intermittentibus; (r) etiam epidemicis quibuſdam, ubi peculiarem exigit medelam, quandoque nonniſi pepaſmo febris abſoluto ceſſans (s); quandoque eruptionem exanthematicam, morbiiloſam, miliarem, & aphtoſam (t) præcedit ſomno-

(o) Acta pariſina Anno 1707.
(p) Boerhaave in aphor. §. 704.
(q) Lauter in ſua hiſtoria medica pag. 56.
(r) Werlhof in tractatu de febribus loco ſupra citato.
(s) Sydenham Sect. V. Cap. 2.
(t) Illuſtr. L. B. van Swieten §. 982. & 983.

mnolentia talis, eruptione facta diſparens.

III. ab *Inanitione*, qua deficit copia liquidi arterioſi ad cerebrum appellendi, poſt validas narium hæmorrhagias, abortum, partum, a vomitu enormi vel alvo, uti in cholera imprimis obſervatur (u). *Cognoſcitur* his prægreſſis, reliquiſque cauſis abſentibus.

IV. a *Repletione*, qua vaſis diſtentis cerebri cortex, medulla, nervorumque origo comprimitur, in plethoricis, humorum motu ad caput aucto, eorumque ad inferiores partes deſcenſu imminuto. Signis plethoræ, motusque ad caput auctis intelligitur.

V. a *Spiſſitudine* humorum calida, frigida, atrabilaria, oleoſa, ab oleo fuſo (w). A prægreſſis rite perpenſis hæc ſpecies cognoſci poteſt.

VI.

(u) Idem §. 704.
(w) Idem ibidem.

VI. *Traumaticum*, a cauſis externis ſed levioribus quam apoplexiam cauſantibus.

VII. ab *Humorum extravaſatione*, ad ventriculos alibique collectorum, vide apoplex.

VIII. ab *Hydrocephalo* potiſſimum interno cognoſcendo ex capite tumente, nutante, ſuturis dehiſcentibus, fronte, oculis protruſis &c. cauſisque hydropis applicatis, evacuationibus potiſſimum ſeroſis ceſſantibus.

IX. *Metaſtaticum*, a ſcorbuto, arthritide, eryſipelate, ſcabie, fluxu ulceroſo &c. retropulſis, vide apoplex.

X. ab alio capitis morbo relicto, uti phrenitide, ubi nimirum arteriæ & venæ cerebri valde turgentes fiunt a fortiter impacto, & denſo cruore; peſſimi autem ominis eſſe hunc affectum in phrenitide vel ægrorum cuſtodes norunt, certam prævidentes mortem, dum antea

furi-

furibundi ſubito quieſcunt, & ſomnolenti fiunt (x).

XI. a *Frigore congelatione*, quod ex circumſtantiis perpenſis facile patet.

III. LETHARGUS,
SEU
VETERNUS LATINORUM.

Eſt profunda tranquilla, obliviosa ſomnolentia, a cauſa lenta, frigida.

Noſcitur, quod excitatus æger ſit hebes, ac omnium fere immemor, (y) pallidus, tumidus, decolor, partes ſub oculis elevatas habens, difficuter reſpirans cum pulſu tardo, (z) plerumque etiam delirat ac febri ſtipatur (**).

Dif-

(x) Illuſtr. L. B. van Swieten §. 774.
(y) Illuſtr. L. B. van Swieten §. 1045.
(z) Illuſtr. van Swieten §. 1049. ex Hippocrat. coac. prænot. &c.
(**) Idem §. 774. ex Galeno.

Differt:

I. ab Apoplexia *frigida gradu, eſt enim in lethargo excitatio poſſibilis.*

II. a Caro, *in quo excitatio longe difficilior eſt cauſaque calida.*

III. a Comate hypnotico, *quod ex hoc excitati nec hebetes ſint, nec oblivioſi.*

Species.

I. *Acutus*, quo affecti intra ſeptem dies teſte *Hippocrate* (a) moriuntur; qui vero hos effugerint, ſani evadunt, vel etiam ſervantur, ſi empiici fiunt (b) quod eſt, uti *Mercurialis* explicat, ſi illis per nares & aures materies purulenta evacuetur; vel etiam ſi illis ſuppuratio parotidum accidat, uti *Riverius* in ſua praxi medica (c) habet.

II.

(a) libro II. de morbis.
(b) Hippocrates Libro III. de morbis.
(c) Libro I. Cap. 2.

II. *Chronicus*, Illuſtriſſimus talia exempla §. 1049. adfert.

III. Lethargus *litteratorum*, ſedentariam vitam degentium, libris impalleſcentium; in quibus primo languor oritur & amor quietis ac otii, dein incipit ingenium hebeſcere, memoria vacillare, ſomnolenti fiunt, ſtupidi, & ſæpe diu in hoc ſtatu manent, antequam vere aloplectici fiunt, & pereunt (d).

IV. *Symptomaticus* a ventriculo, pectore &c. affectis: ſordes ſcilicet ad præcordia hærentes cerebrum conſenſualiter afficiunt; & hæc lethargi ſpecies tum ex antegreſſis, tum nauſea, vomituritione, ſorditie linguæ &c. innoteſcit. *Pulmonicus* lethargus; (e) a pituita viſcida pulmones obſidente oritur cum facie rubra, tuſſi frequenti; ſimilem etiam phti-

(d) Illuſtr. van Swieten §. 1010.

(e) Baglivius de raris pulmonum morbis.

phtiſici ſæpe patiuntur. Uterque non cephalica, ſed topica cauſæ proportionata exigit remedia.

Reliquas ſpecies ex ſpeciebus cataphoræ aut apoplexiæ deſumes.

IV. CARUS

Eſt profundiſſimus ſomnus cum repentina ſenſuum, motuumque abolitione, una cum febre acuta, & difficili admodum excitatione.

Noſcitur, quod validis ſtimulis excitati ægri palpebras deducant per momentum, puncta membra retrahant, interrogati tamen non reſpondeant, & mox in ſomnum æque profundum relabantur.

Differt

I. ab Apoplexia *calida, gradu enim hac eſt levior, neque ſi evaſerit æger, ullam functionum animalium (excepta interdum titubatione capitis) læſionem relinquit, quod in exquiſita*

apoplexia raro contingere ſolet, præterea reſpiratio in caroticis facilior, pacatior eſt, nec cum tanto ſtertore peragitur, & ſtimulis ſaltem validioribus excitari poſſunt.

II. a Lethargo *differt; febris major eſt, quæ carum præcedit, carotici difficilius excitantur, ſed excitati haud delirant. Carus frequens eſt in febribus acutis, aliisve morbis, ubi copia ſanguinis, nimia ejus rarefactio, aut & inflammatoria ſpiſſitudo adeſt.*

III. a Cataphora; *quod carotici difficillime excitentur, excitati interrogatis non reſpondent.*

Species

I. *Protopathicus* plethorici, intemperanter viventes, adulti, gravidæ &c. prægreſſa cephalalgia, & vertigine, febri continua ſenſim aucta corripiuntur; & in hac ſpecie immediate ab initio febrim concomitatur carus, pulſus eſt frequens, fortis, facies rubet, corpus calet.

II. *Symptomaticus*, ubi carus aliorum morborum ſymptoma adeſt, in febribus

bus ſcilicet variis, putridis, malignis &c. Differt a priori, quod in hoc febris oriatur cum rigore & horrore. In epidemica conſtitutione *Sydenhami* (f) eminebat carus adultos præcipue prehendens, qui calefacientia, ac copioſius evacuantia reſpuebat remedia: Variolarum ſtadio fere cuilibet carus accidere poteſt, ut videre eſt apud *Sydenhamum* (g). Huc quoque pertinet carus febribus intermittentibus, aut remittentibus, quandoque tertio paroxiſmo ſuperveniens (h); cujus ſigna tum antecedentia, tum concomitantia vide in apoplexiæ ſpeciebus. Differt hic ab aliis febrilibus, quod cum frigore ſubitaneo exacerbetur, aut periodice redeat.

III. *Verminoſus* pueris vermibus laborantibus frequens cum febricula genarum

(f) Sect. V. Cap. 2.
(g) Sect. III. Cap. 2. & Diſſert. epiſtol.
(h) Werlhof in tractatu de febr. L. C.

rum rubore fugaci, odore acido-dulci, aliiſque ſignis vermium latentium dignoſcendus.

IV. *Levans*, qui poſt vigilias protractas in morbis, aut ſummas defatigationes oritur, plerumque proficuus (i).

Reliquæ ſpecies in cataphora & apoplexia dictæ ſunt, ſuisque ſignis notatæ.

V. COMA VIGIL

Coma agrypnodes, Typhomania

Eſt aſſidua dormitio cum aſſiduo in eam poſt excitationem relapſu; ſeu eſt luctans ſomni ac vigiliarum alternatio.

Hoc laborantes clauſis oculis inſtar dormientium decumbunt, tacti, irritati oculos aperiunt, tangentem torve reſpiciunt, mox oculos iterum claudunt, rurſus loquuntur abſurda, corpus inordinate jactant, murmur ſpirant in gutture, ali-

(i) van Swieten §. 1045.

aliquando ſummo cum terrore, & ſæpe cum convulſionibus evigilant, aliquando e lecto proſiliunt, atque adſtantes invadunt. Plerumque eſt febrium gravium ac malignarum comes: Eſt docente Illuſtriſſimo (k) junioribus ad ſeptimum vel octavum ætatis annum usque frequens imprimis hoc malum, dum febribus, ſive continuis, ſive intermittentibus laborant.

Differt

I. a Cataphora *per vigilias moleſtas ſponte accedentes, & alia ſuper aliam phantaſia adveniente, mentem movente, atque ſomnum intercidente.*

II. a Lethargo, caro *pariter per ſpontaneam excitationem.*

III. a Phrenitide *per ſomnolentiam.*

IV. a Somno *turbulento gradu tantum differt.*

Species

I. *Continuum*, ubi ægri magis ſoporoſi, & quieti ſunt, nec ſopor per acceſ-

(k) in comment. §. 703.

ſus, aut paroxiſmos accedit, ægri continuo ſomniant, & intra ſe blaterant, interrogati reſpondent, ſe movent: frequens eſt continuarum ut plurimum malignarum incremento & ſtatui, in carum ſæpe abit.

II. *Periodicum* (1) hemitritæis, vel vere intermittentibus ſuperveniens, acceſſus ſuosve paroxiſmos habens, cortici peruviano obaudiens.

III. ab *Inanitione*, a doloribus magnis, a vermibus, exercitio, ſtudio continuato, animique affectu validiori; quæ unaquæque ſpecies facile ex anamneſi patet.

IV. Somnus turbulentus, ſeu levior Typhomania, exanthematicam eruptionem, vel etiam criſim quandoque præcedere ſolet; & hæc ſignis metaſtaſim cutaneam, vel criſim prædicentibus facile cognoſcitur.

Huc

(1) TORTI & WERLHOFFII.

Huc quoque referri poteſt.

I. *Pavor nocturnus* ſeu *Panophobia* infantum, dum ii e ſomno ſubito excitantur cum clamoribus & fletu, irregulari membrorum motione, tremebundi, fereque convulſi ob phantaſmatum terrificorum, aut ſpectrorum in ſomno viſorum imaginationem, frequens uſque ad quintum annum; in lactentibus, ejulatu, clamore, fletu, membrorum commotione, tremore ſubito, excitatione ſine cauſa manifeſta cognoſcitur; adultiores objectum pavoris verbis exprimunt.

Quia hoc malum plerumque a ſaburra ventriculi, lacte coagulato, ingurgitatione nimia, calore aeris aut ſtragulorum majori, vermibus &c. oriatur; his intellectis ſpecies facile dignoſcuntur.

Similis quoque e ſomno excitatio ſubita cum terrore mobilibus, hyſtericis, hypochondriacis frequens eſt, quæ a levi

vi cauſa excitante, ex temperamento noſcitur.

II. *Somnambuliſmus* eſt ea dormientium hallucinatio, qua ſe vigilare putant, omniaque vigilantium munia exſequuntur; Senſus aboliti ſunt, imaginatio autem vividiſſima eſt, unde motus artuum arbitrarii exercentur ut in vigilia (*). Eſt quandoque malum hæreditarium, vel congenitum: Ebrietas, cœna largior, cibi flatulenti, dyspepti, ſtragulorum copia, decubitus ſupinus, ſtudium poſt cœnam, uti quoque & ſomnus ſtatim poſt comeſtionem initus, narcoticorum abuſus, anſam inſultui præbent; quæ cauſæ præcavendæ. Quosdam curavit machina electrica, alios balneum frigidum &c.

VI.

(*) Sauvages in Noſologia ſua methodica noviſſime edit. T. III. P. I. pag. 306.

VI. INCUBUS

Succubus, *Aſthma nocturnum*, *Epilepſia*, *vel etiam ſuppreſſio nocturna;* græcis dicitur *Ephialtes* ἀπὸ τȣ ἐφάλλεσθαι inſilire.

Eſt ille morbus ubi dormienti oritur idea rei incumbentis, graviter prementis atque ſuffocationem minitantis, & hinc ſumma reſpirationis difficultas, cum voce præpedita, ac totius corporis immobilitate ſequitur.

Placuit hunc affectum ad morbos capitis, & quidem ſoporoſos referre, quia dormientes aggreditur, & veluti ſomni læſio eſt; dum ſimul quia varii affectus capitis etiam ſoporoſi, uti apoplexia, epilepſia &c. ei ſuccedunt; demum ipſe celeberrimus *Sauvages* (**) licet incubum ad anhelationes, conſequenter ad morbos pectoris referat, tamen de ſe ipſo

(**) in Noſol. method, Tom. II. P. II. pag. 130.

teſtatur, ſuffocationem quandoque a ſolo inſomnio determinari.

Aggreditur vero incubus eos præcipue, qui ſupini decumbunt capite declivi vel lateraliter, aut antroſum delapſo, manifeſtatur reſpiratione querula, gemebunda, anxia, & ſtatim atque æger e ſomno excitatus eſt, ſomnium & morbus evaneſcunt, niſi quod nonnulli excitati aliquamdiu anheloſe reſpirent, eorum cor palpitet, membra tremant, vel ſtupore afficiantur.

Differt

I. *ab* Aſthmate, Diſpnæa *per ſomnum.*

II. *ab* Epilepſia, *quia in incubo deſunt veri motus convulſivi.*

III. *ab* Apoplexia, *quia & in hac & in epilepſia vel aſthmate ſitu mutato morbus haud ceſſet.*

Species.

I. *Plethoricus*, qui a plethora ope caloris lecti, victus opipari aromaticorum,

rum, ſpirituoſorum aſſumptorum commota oritur, & hoc maxime contingit, ſi æger poſt cœnam lautam ſupino decumbat capite, vel ubi ob præviam pulmonum debilitatem ſanguis in illis facilius ſtagnat.

II. *Stomachicus*, pueris voracibus maxime frequens a copia ciborum dyſpeptorum flatulentorum ingeſtorum, vel ab ebrietate. Hi ab acceſſu excitati ſæpe habent linguam ſordidam, ructus, nauſeas, capitis gravitatem.

III. ab *Hydrocephalo*, a lympha nempe ſenſim in capite aggeſta (m). *Noſcitur* hæc ſpecies ex temperamento frigido, ſomnolentia ſenſim obrepente, magnitudine capitis, torpore actionum animalium, & aliis hydrocephali ſignis.

IV. *Melancholicus* a ſanguine ſpiſſo, craſſo, cerebrum obſidente, præſertim dum

(m) Illuſtr. van Swieten §. 1020.

dum quis ſupine decumbere amat. Agnoſcitur ſignis atræ bilis præſentis, & conſideratis reliquis circumſtantiis.

V. a *Mobilitate* ſyſtematis nervoſi, hypochondriacorum, hyſtericarum, puerorum, & in his ultimis, ſi fabulas de pravis geniis &c. a ſuis exceperint vetulis, aut de felibus, ſimiis, aliisque animalibus nimis metuunt, in illis vero ſi flatulentorum ingeſtio, animi curæ, affectusve alii anſam dederint. Ex his ergo cognitis etiam cognitio hujus ſpeciei habetur.

VII. CATALEPSIS

Catoche, Catochus; Congelatio latinorum

Eſt is morbus, quo laborans repente immotus, nec ſentiens, illum corporis ſtatum retinet, quem primo momento accedentis morbi habebat.

Plerumque præcedit torpor vel cephalalgia, artus flexiles manent, & quamlibet

libet poſituram ex legibus mechanicis, ac ſtructura anatomica poſſibilem ab adſtantibus impreſſam conſervant, oculi aperti manent, licet toti inſenſiles, cum etiam proxime admota candela nec nictitant, nec eorum pupillæ conſtringuntur; quibusdam tamen in variis corporis partibus adhuc aliquis ſenſus perſtat; ſunt qui ſub paroxismo loquuntur, & quandoque ſat ingenioſe, adſtantes acriter excipiunt, illa, quæ memoriter tenent, optime recitant (n); ſunt qui leviter convelluntur; paſſim autem immemores ſunt omnium illorum, quæ paroxiſmi tempore circa eos acta fuerunt: Pulſus, reſpiratio, calor & color partium externarum in ſtatu quaſi naturali manent, licet tamen aliquando reſpiratio rara, & pulſus debilis ſit; in quibusdam paroxiſmus ad quædam momenta, in aliis ad quasdam horas

(n) Magnificus Profeſſor de Haen Tomo IV. Rat. Med. pag. 186. in Edit. altera.

ras perdurat, & ut plurimum eſt malum periodicum.

Differt.

I. *a* Tetano univerſali, *in quo omnes articuli rigidiſſimi manent, & nulla vi flecti vel extendi poſſunt.*

II. *ab* Apoplexia, *in qua ægri nec eandem quam ante paroxiſmum habebant poſituram, nec membra eum, qui ab adſtantibus conciliatur, ſitum retinent.*

III. *ab* Extaſi, *in qua quidem æger eam, quam initio inſultus habuit, poſituram conſtanter ſervat, & omni ſenſu motuque artuum orbatur, ſed artus non retinent ſitum quemvis ab adſtantibus impreſſum, quod tamen in catalepſi contingit, præterea extaſis ut plurimum gradatim hominem abripit, catalepticus vero paroxiſmus ad ſemel.*

Species

I. *Perfecta*, in qua ſenſus omnes revera abolentur.

II. *Imperfecta*, in qua ægrotantes audiunt, vident, tametſi nec videre, nec

au-

audire ullo modo videantur, & eorum, quæ in paroxiſmo acta ſunt, recordantur, quale exemplum *Illuſtriſſimus* ex Galeno citat (o). Huc & pertinet Catalepſis, cujus exemplum etiam *Illuſtriſſimus Præſes* eodem loco habet, in qua ægra ſentiebat ſpirituoſa naribus ſuppoſita, & manu celerrime naribus admota illas comprimebat; vel in qua dimidium tantum latus affectum. *Diagnoſis* harum ſpecierum obſervando diſcitur, aut ex confeſſione ægri ad ſe redeuntis habetur.

III. *Compoſita* ſpaſmo, hiſteriæ, ſomnambuliſmo juncta, uti hoc memorabilis ille caſus ab illuſtriſſimo Præſide (p) ex actis Reg. ſcient. Par. adductus docet.

IV. a *Febribus intermittentibus*; tertianis & quartanis longis ſæpe ſupervenit Catalepſis periculoſa, teſte *Ballonio* (q)

V.

(o) in comment. §. 1036.
(p) in comment. §. 1086.
(q) Tom. III. pag. 27.

V. *Sanguinea* a vaſis ſanguineis cerebri nimis diſtentis, vel ab aliis evacuationibus ſanguineis ſuppreſſis, uti a menſtruis, hæmorrhoidibus.

VI. *Febricoſa* talem refert *Lazerme* (r), ubi fæmina, quæ gravioribus rei domeſticæ curis diu vexata fuit, in ſynochum exacerbantem incidit, & quatuor paſſa eſt veræ catalepſis inſultus cum exacerbationibus recurrentes & deſinentes; facies erat florida, reſpiratio naturalis, pulſus frequens, magnus, æqualis, artuumque inferiorum debilitas tanta erat, ut ſtare ægra non poſſet.

VII. *Critica* abſceſſum ad aures prædicens, juxta illud *Hippocratis* (s). *Convulſio, tremor, anxietas, cum ſtuporis detentione* (catoche) *parva, circa aures abſceſſus exacerbant:* Sed imperfecta hæc eſt

(r) tractatu de morbis cap. XV.
(s) Libro prædict. I, ad finem fere.

eſt monente Illuſtriſſimo; & etiam ipſe *Hippocrates* tantum parvum catochum vocavit.

VIII. *Melancholica* (t) ſive materies atrabilaria infarciat vaſa cerebri, ſive id per conſenſum tantum afficiatur.

IX. *Conſenſualis*; Verminoſa a reptatu vermium ventriculum irritantium; ſignis vermium in corpore hærentium, vel vermibus prodeuntibus cognoſcenda; Apud celeberrimum *Sauvages* quoque exemplum puellæ eadem catalepſis ſpecie laborantis habetur, quæ ſemper ante paroxyſmum de cardialgia, doloribus vagis in abdomine, & de ſenſu corporis a ventriculo in œſophagum repentis conquerebatur.

X. a *Terrore ſummo ſubito*; profunda diuturna meditatione, imaginatione rei triſtis; quorum plura exempla in com-

D ment.

(t) Ballonius Tom. III. pag. 26.

ment. Illuſtriſſimi Præſidis §. 1040. habentur. *Noſcitur* antegreſſis, & cauſis aliis materialibus abſentibus.

XI. a *Fumo carbonum: Platerus* (u).

XII. *Delirans*, ad quam ſpeciem pertinet ille caſus, de quo ſuperius ubi de compoſita catalepſi agebatur, jam aliquid dictum fuit, & ab Illuſtriſſimo Præſide §. 1086. integre enarratur.

Pertractatis morbis ſoporis, ordo jubet, ut & ille ſtatus morboſus cum ſuis ſignis & differentiis exhibeatur, ubi homo ex interna diſpoſitione variiſque cauſis neceſſarium ſomnum capere nequit. Hinc

VIII. AGRYPNIA

Pervigilium, Vigiliæ protractæ.

Eſt talis interna cerebri diſpoſitio, ut per illam continua quaſi irritatio ſenſorii com-

(u) Libro I. obſerv. 18.

communis fiat, uti ab objectis externis. Inde vires minuuntur, inquietudo, cephalalgia, aliave mala cerebri oriuntur.

Differt

I. a Comate vigili, *in quo propenſio ad ſomnum adeſt, ſed ſine effectu ſubſequente.*
II. a Phrenitide *per delirium ferox, febrim acutam inflammatoriam.*

Species

I. *Febrile Pervigilium*, dum velociori humorum motu per vaſa cerebri, vel impetu ad caput determinato, aut incipiente humorum immeabilitate leviſſimæ inflammationis primum initium in cerebro naſcitur, per quam ſic tenduntur omnia vaſa, ut facillime ab objectis externis cerebrum affici poſſit: aut dum ſiti, calore, dolore, aliisve ſymptomatibus febrilibus ſomnus turbatur.

Tales vigiliæ interdum etiam ultra febrim excurrunt monente Sydenhamo (w).

II. *Criticum* prædicens maxime hæmorrhagiam narium (x), ſi coctionis ſigna præceſſerint, atque alia hæmorrhagiam prædicentia concomitentur, ut capitis dolor, cervicis tenſio, oculi rubri, pruritus narium &c.

III. a *moleſta ſenſatione*, dolore cephalico, arthritico, fame, anxietate, dyſpnœa, tuſſi, mingendi, dejiciendique frequentiori neceſſitate, luce, ſtrepitu, &c.

IV. a *Pathemate*, terrore, metu, amore, animi curis,, &c.

V. ab *Indigeſtione*, ingluvie, cœna lauta, ingeſtis dyſpeptis, flatulentis, vermibus; evigilantes calent, ſudant, anxii ſunt, nec amplius dormire poſſunt.

VI.

(w) T. I. Cap. IV.
(x) Hippocrates coac. Prænot. in pluribus locis.

VI. ex *Pancreate tumente* (y) alio-ve tumore abdominis humorum per infe-riora deſcenſum retardante.

VII. *Maniacorum* ſæpe incredibilis ad plures ſeptimanas, ab idea illa valida ſen ſorium adeo turbante.

VIII. *Hyſtericum*, *hypochondriacum*, dum tales ſomnum invitantes ſpaſmis, ſuffocatione, aliisve ſymptomatibus hy-ſtericis a ſomno prohibentur.

CLASSIS II.

Tractans morbos paralyticos.

I PARALYSIS ſive RESOLUTIO.

Eſt muſculi laxa immobilitas nullo nixu vitæ, aut voluntatis ſuperanda.

(y) Bonnetus in ſepulchreto anat. obſ. 8.

Senſu ſimul perſiſtente, vel abolito, aut imminuto; calor partis paralyticæ vel manet naturalis, vel imminuitur.

Differt

I. *a* Tetano & Ancyloſi, *in quibus pars affecta non manet flaccida, ſed riget & tumet.*

II. *ab* Anaeſtheſia, *in qua ſenſus pereunt externi præſertim tactus, motu interim perſiſtente.*

III. *ab* Apoplexia, *hæc enim neceſſario ſupponit ſimul abolitionem omnium ſenſuum; tum in-tum externorum. Licet apoplexia etiam vocetur paralyſis univerſalis, uſus tamen in ſcholis paſſim obtinuit, paralyſim appellare reſolutionem partis, ſenſibus ſaltem internis aut perſiſtentibus, aut non multum læſis.*

IV. Hemiplegia, Paraplegia; *ratione loci affecti a paralyſi diſtingui ſolent, licet paralyſis ſpecies ſint.*

V. Atonia *vocatur reſolutio fibrarum muſcularium viſcus aliquod conſtituentium.*

Species.

I. *Perfecta* ubi motus integre abolitus eſt.

II.

II. *Pareſis* ubi adhuc adeſt quidam motus, ſed non conſtans, ſupereſt ſenſus ſed hebes tantum; cauſæ leviores ſunt, ac in paralyſi: a vino rhenano, copia majori hauſto legitur Pareſis humeri, brachii metacarpi ad ungues usque ſecuta. (*)

III. Gravis, ubi & ſenſus & motus abolitus eſt, parsque friget, aut atrophica fit.

IV. *Levior*, ubi ſenſus calorque perſtant.

V. *Congenita*, a vitio paralyſim producente, vel tempore geſtationis, aut partus exorto.

VI. *Scelotyrbe Galeni* (a) " eſt para-
" lyſis ſpecies, qua quis rectus ambu-
" lare non poteſt, & latus alias in re-
" ctum, quandoque ſiniſtrum in dex-

 " trum

(*) Boerhaave tract. de morb. nervor. a van Eems edito pag. 200.

a) in definit. med. N. 293.

" trum, aut dextrum in ſiniſtrum circum-
" fert, interdum quoque pedem non at-
" tollit, ſed attrahit, velut illi, qui
" magnum quid aſcendunt." Hæc ſcorbuto, aut magnis evacuationibus ſolet ſupervenire, aut etiam diuturnæ valetudini.

VII. *Transverſa*, eſt paralyſis brachii unius, & pedis alterius lateris (b); poſt dyſenteriam malignam epidemicam, adſtringentibus, & opiatis præmature ſuppreſſam frequenter accidit jamjam convaleſcentibus; adjuncti ſunt ut plurimum dolores arthritici, aut his abſentibus tactus abolitio.

VIII. *Nervoſa* a nervis in origine vel decurſu affectis: vitia cerebri, cerebelli, medullæ oblongatæ, ſpinalis, nervorumque inde porrectorum in truncis, gangliis, ramulis a preſſione, diſciſſione, tenſio-

(b) Conradus Fabricius in diſſert. vide clariſſ. Vogel Bibl. med. pag. 168. T. I.

ſione, &c. nata multiplicem generant paralyſim. *Diagnoſis* hic difficilior eſt; *Riverius* (c) talem dat. " *Si pars faciei dextra, vel ſiniſtra reſolvatur,* " *reliquis partibus illæſis cerebrum tantum afficitur, ſecundum eam partem,* " *a qua nervi ad partes eas deferuntur.* " *Si vero partes capiti ſubjectæ una cum* " *facie lædantur, ſpina dorſi & cerebrum* " *afficitur: & ſi partes ſubjectæ lædantur* " *facie illæſa, in ſola ſpina vitium conſiſtit, & quidem in principio illius, ſi* " *omnes ſimul lædantur. Si vero dimidia* " *pars corporis paralytica ſit, dimidiæ tantum ſpinæ portio obſidetur. Cruribus reſolutis affectio eſt circa finem ſpinalis medullæ juxta vertebras oſſis ſacri, ſic in* " *cæteris inquirendus eſt locus, a quo nervi* " *exoriuntur, qui ad partem paralyticam* " *deferuntur. Aliquando etiam cauſæ ex-*

(c) Libro I. Cap. V.

" *ternæ inquiſitio ad loci affecti dignotio-*
" *nem plurimum confert.* " Morbi, ſymptomataque antegreſſa quoque multum docent.

IX. *Arterioſa* ab influxu humorum vitalium in organa motus imminuto, ob compreſſionem, abſciſſionem, gangrænam, obſtructionem &c. arteriæ ad muſculum tendentis. Hic calor nativus partis ſimul perit, & facile atrophia naſcitur: ex cauſis applicatis diagnoſis petenda eſt.

X. *A muſculi fabrica* vitiata poſt nimiam diſtractionem vel epilepticam diſtorſionem, muſculi macerationem in hydrope ab abuſu aquæ tepidæ, emollientium, diuturnam quietem, talem *Celeberrimus Boerhaavius* poſt rheumaticam lumbaginem in artubus inferioribus paſſus eſt. His notis diagnoſis patet.

XI. *Metaſtatica* a metaſtaſi 1mo *materiæ ſanæ* menſium, hæmorrhoidum, alvi,

vi, urinæ, ſalivæ, materiæ perſpirabilis (d). 2do *morboſæ* in acutis vel chronicis, abſceſſuum (e), achorum (f), arthriticæ (g) ſcorbuticæ, muſculorum, ligamentorum & oſſium, quibus muſculi adhærent, fabricam deſtruentis (h), venereæ (i), ſcarlatinoſæ (k). Hæ ſpecies a Medico anamneſim rite, & ad artis leges formanti facile cognoſcentur.

XII. *Conſenſualis* a Colica pictonum (l) biliosa. (m)

Huc quoque *Pneumonica* illa (ſit venia nomini) referenda videtur, de qua *Ma-*

(d) Boerhaave §. 1060. in aphor.
(e) Idem ibidem.
(f) De Haen T. I. Rat. med. pag. 105. N. 4. in Edit. altera.
(g) Idem ibidem pag. 104. N. 2. &. 107. N. 7.
(h) Illuſtriſs. Præſes in comment. §. 1151. ad N. 4.
(i) Aſtruc Libro IV. Cap. II.
(k) De Haen Tomo VI. pag. 312.
(l) Praxis.
(m) Bianchi hiſt. hepat. Parte 3.

Magnificus Störck (n) ait: " Dum copio-
" ſa ſputa prodierunt, tunc plerumque
" in membris paralyticis cœpit quæ-
" dam mobilitas obſervari, & non raro
" accidit, ut pectore ab omni glutine
" liberato, & tuſſi ſopita paralyſis quo-
" que evanuerit. "

XIII. *Plethorica* ex plethoræ ſignis cognoſcitur.

XIV. *Seroſa* a ſero abundante, mora in locis humidis recenter exſtructis, potu aquarum mineralium, aliarumve maxime tepidarum intempeſtivo; lotricibus, piſcatoribus, ſimilibusque artificibus teſte *Ramazzini* ſuperveniens.

XV. *Ab aliis morbis relicta;* ab Apoplexia *(paralyſis ab apoplexia in dextro latere rarius,* (o) Epilepſia, vertigine &c.

XVI.

(n) Anno medico II. pag. 132.

(o) De Haen Rat. med. T. III. pag. 244. & T. I. Pag. 110. edit. alt.

XVI. *Ab animi affectu*, ex terrore & ira. (p)

XVII. *A Venenis*, vaporibus arſenici, antimonii, calcis recentis, mercurii, plumbi, uſu Belladonæ, opii, mandragoræ, hyoſciami (q) ab halitu vini fermentantis. (r)

XVIII. *Intermittens* intermittentis febris ſymptoma, aut ſub cujus larva intermittens latet. Noſcitur periodo, & ſæpe urina lateritia.

II. HEMIPLEGIA.

Eſt ubi dimidium corporis latus motu voluntario caret. Nec dolor, nec ſopor adeſt; apoplexiæ frequentius ſuccedit.

Differt

I. ab Apoplexia *aliisque morbis comatoſis per integritatem mentis, ſaltem aliqualem.*

II.

(p) Idem T. I. pag. 105. & T. III. pag. 230.
(q) Illuſtriſſimus van SWIETEN §. 1060. ad finem.
(r) Clariſſimus Profeſſor CRANTZ in Mat. Med. T. III. pag. 103.

II. *a* Paraplegia, *quod alterutrum latus in hemiplegia tantum afficiatur.*
III. *a* Paralyſi *per extenſionem.*
IV. *ab* Immobilitate *rheumatica, arthritica per doloris abſentiam, membrorumque flacciditatem.*

Species.

I. *Exquiſita*, ſi dimidia pars corporis a capite ad calcem usque paralytica eſt; hinc viſus, auditus ſenſus & motus artuum ſuperiorum & inferiorum ejusdem lateris abolentur, aut imminuuntur, loquela impedita eſt, balbutiunt ægri, inter manducandum foedo ſpectaculo cibi ex ore dilabuntur, lingua exſerta diſtorquetur ad latus ſanum, & in eodem ſano latere angulus labiorum ſurſum trahitur, cibi intra genam paralyticam & dentes decidunt, unum tantum frontis latus corrugari poteſt, unusque tantum orbicularis palpebrarum claudi.

II.

II. *Minus exquiſita*, in qua latus unum reſolvitur excepto capite; hic nec viſus nec auditus læditur, loquela facilis eſt & expedita, reſpiratio libera, pulſus quaſi naturalis &c. cauſa tunc tantum partem medullæ ſpinalis circa primas vertebras colli afficit.

III. *Exquiſita univerſalis* ſi ſimul interiora dimidiatam tantum virium ſuarum partem retinent, ventriculus nempe inteſtina &c. pro parte paralytica ſunt: Hanc aſſumpſit *Aretæus* ut citat Illuſtriſſimus Præſes (s); ſed rarius hæc occurrit; pluries enim hemiplectici optime digerunt ingeſta, imo ſunt qui longe voraciores fiunt. Alvum, urinam deponunt &c.

IV. *Intermittens*, quæ febris quotidianæ acceſſum ſtipabat. *Sauvages* ex *Torti.* (*)

V.

(s) In comment. §. 1018.
(*) Torti tractatu de febribus cap. 4. pag. 227.

V. *Tranſverſà* ubi unum corporis latus paralyticum eſt, & alterum convellitur, ejusmodi exempla vide apud Illuſtriſſimum Præſidem. (t) Cauſa tunc ſi non pro certo ſaltem probabilius hæret intra cranium in illa parte, quæ lateri paralytico opponitur.

VI. *Traumatica* a lapſu, contuſione, ictu &c. vide apoplex.

III. PARAPLEGIA.

Poraplexia: Paralyſis veterum.

Eſt abolitio motus voluntarii in omnibus partibus cervici ſuppoſitis.

Motus animales trunci & extremitatum pereunt, ſenſus perſtant, *neque ventre, ac veſica circa prima tempora ſtercus vel urinam egerat, niſi coactus* (u), actiones vitales naturales ſenſim langueſcunt, gangræna pedum, natum &c. facile accedit (w),

(t) §. 276.
(u) Hippocrates Prædictorum Lib. II.

(w), apoplexia plerumque ſubſequitur; eſt periculoſior hemiplegia, aſt minus diuturna.

Differt

I. *ab* Apoplexia, *aliisque morbis ſoporoſis, quia ſenſus perſiſtunt.*

II. *ab* Hemiplegia Paraplegia *per extenſionem.*

Species

I. *Traumatica* a lapſu in ſpinam dorſi, luxatione vertebræ colli, fractura ſpinæ, vulnere ſpinalis medullæ, effuſioneque humoris inde facta.

II. a *Gibbere, exoſtoſi,* nodo, topho, ſpina ventoſa medullam prementibus. *Diagnoſis* vel ex ipſa perceptione harum excreſcentiarum, vel ex anamneſi prægreſſi morbi v. gr. luis venereæ, rachitidis, vel ex conjecturatione, ſi nimirum tales tumores in aliis partibus ſunt; ex viſu, ſi truncus corporis haud debite figuratus eſt, & demum ex abſentia alia-

E rum

(w) Illuſtr. van SWIETEN. §. 162.

rum cauſarum paraplegiam producentium patebit.

III. *Sanguinea* ob diſtenſionem retis vaſculoſi, quo circumdatur medulla ſpinalis, a plethora, vel motu ſanguinis factam: cognoſcenda calore, rubore faciei, pulſu pleno, celeri, prægreſſis cauſis plethoræ, ſanguinemque moventibus.

IV. *Seroſa*, a ſero ad ſpecum vertebrarum effuſo, prægreſſo præſertim hydrocephalo interno; infantibus frequentior. Eſt quoque *Spina bifida*, ſeu dehiſcentia proceſſuum ſpinoſorum cum tumore ad medietatem ſpinæ ab eodem ſero ad ſpecum e capite defluente nata, paraplegiæ cauſa quæ facile ex ſuis ſignis noſcenda.

V. *Imperfecta*, abolitio motus voluntarii in dimidio corporis transverſim ſumpto, etiam ſolummodo artuum inferiorum vide *Sauvages*. (*) IV.

(*) in Noſol. method. T. II. P. II. Cap. de Paraplex.

IV. ANAESTHESIA, INSENSILITAS latin.

Eſt facultas ablata percipiendi actiones objectorum ſenſibilium in organa ſenſuum externorum.

Motus muſcularis, & rerum neceſſariarum appetitus manent, ſed imminuti. In organo tactus ſtupor audit, in reliquis ſenſibus externis hebetudo, vel terminis aliis ſenſus in ſpecie læſionem deſignantibus hic morbus inſignitur.

Differt

I. *a* Pareſi, *in qua motus animalis minuitur, ſenſusque perſiſtere poſſunt.*

II. *a* Soporoſis morbis, *quod anaeſthetici naturaliter dormiant, manducent, bibant, alvum deponant &c.*

III. *ab* Animi deliquio, *quod etiam motum animalem, vitalemque ſupponit minutum, nec diuturnum eſt.*

Species

I. *Gravior*, *levior*, prout facultas percipiendi vel integre ablata eſt, vel tantum imminuta.

II. Ab *inanitione*, defectu ſanguinis, & ſpirituum, poſt magnas evacuationes, diſſipationes ſpirituum, præcipue ab uſu veneris, pollutionibus &c.

III. a *Repletione*, plethora nimia.

IV. a *Morbis capitis*, nervorumque poſt apoplexiam, dolores, in febribus malignis &c.

CLASSIS III.

Siſtens morbos convulſivos & ſpaſmodicos.

I. CONVULSIO.

Motus convulſivus, ſpaſmus veterum, Convulſio clonica recent.

Eſt invita, violenta, alterna contractio muſculorum. Etiamſi convulſio in omnibus muſculis, fibrisque muſcularibus, v. g. pulmonis, ventriculi, inteſtinorum, veſicæ &c. locum habeat, hic tamen loci de eorum muſculorum con-

convulſione ſolummodo agere conſtitui, qui movendo corpori ſunt deſtinati, & voluntatis imperio ſubjecti: reliquæ enim nominibus peculiaribus inſigniuntur, peculiaremque exigunt pertractationem.

Differt

I. *a.* Spaſmo tonico, Tetano *e. g. per alternam contractionem, quæ in tonico perennis eſt.*

II. *ab* Epilepſia, *per ſenſuum exercitium ſuperſtes.*

Species

I. ab *Inanitione* e. g. *ſanguine multo effuſò* (a); *fluxu muliebri* (b); *medicamenti potione* (c); ab *Helleboro albo* (ſeu potius Veratro caule ramoſo (d) (e);

(a) Hippocrates in aphor. ſect. V. aph. 3. & 9. Sect. VII.
(b) Idem aph. 56. ſect. V.
(c) Idem ſect. VII. aph. 25.
(d) Perilluſtris Profeſſor Crantz in Mat. med. T. III. pag. 37.
(e) Hippocrates Sect. IV. aph. 16. & aph. 1. Sect. V.

ex *Ileo* (f) *Cognoſcitur* his prægreſſis frigore, pallore, debilitate, ſignisque reliquis κενεαγγίας.

II. a *Repletione* (g) dum nimia ſanguinis copia majora vaſa diſtendente, ob plethoram, vel rarefactionem comprimuntur tenerrima cerebri vaſa (h). *Cognoſcitur* ex ſignis plethoræ, prægreſſa cephalalgia, delirio, oculis torvis, facie florida, prægreſſis validioribus animi affectibus; ſpirituoſis, aliisque ſanguinem plus moventibus aſſumptis.

III. *Febrilis*, quæ in augmento, vel ſtatu febris acutæ accidit, ab infarctu vaſorum cerebri, ſanguinis ſpiſſitudine, metaſtaſi materiæ febrilis ad cerebrum facta; hinc in phrenitide, dum cauſa inflammatoria adeo profunde adigitur, ut medulla cerebri afficiatur, in febribus malignis &c. IV.

(f) Hippocrates Sect. VII. aph. 10.
(g) Idem Sect. VI. aph. 39.
(h) Illuſtr. Commentator §. 710.

IV. *Traumatica*, ab ictu, contuſione, vulnere, fractura, aliave læſione mechanica cranium, cerebrum afficientibus, oriturque paſſim in latere ictui oppoſito (ni alterum paralyticum ſit) vertigine, vomitu æruginoſo, aphonia &c. ſæpe prægreſſis: ſanguis, ſanies, pus, ſerum in cadaveribus inventum fuit, aut plexus chorioideus cruore turgidus, unde convulſio facile intelligitur.

Huc etiam referri poſſunt nodi, tophi, exoſtoſes, mala cerebri vel cranii conformatio, congenita aut infortunio nata; quæ autopſia, aut accuratiori examine prægreſſorum patent.

V. *nervi læſione* puncti nempe vel & dimidiatim diſciſſi v. g. dum vena in brachio tunditur, ipſeque bicipitis muſculi tendo, aut lata illa aponevroſis ab hoc tendine orta muſculos cubiti tegens læditur, ipſo hoc momento ſæpe oritur dolor intolerabilis, aliquando vero in ini-

tio talis mali tantum ſentitur obtuſus dolor, poſt paucas horas immaniter auctus totum brachium ad humerum uſque occupans; ſæpe in ipſo vulnere conqueruntur adeſſe ſenſum vivi ignis partem comburentis, in cute externa maculæ rubræ oblongæ apparent, ex orificio ichor quidam deſtillat, cujus acrimoniam ceu cauſam urentis doloris accuſant ægri, licet guſtu in hoc liquido effluente tanta acrimonia non detegatur. (1).

Huc & convulſio a Paronychia orta, item a quocunque dolore graviori nata refertur; nec non ubi convulſio a liquore in vulnere effuſo acri facto nervoſas partes illæſas corrodenti exoritur, quod quoque in ulceribus contingere ſolet.

VI. *Metaſtatica*, materie nempe acri ad nervorum principia delata, v. g. urina,

(i) Illuſtriſſ. Præſes §. 163.

na, ſanie, materie atrabilaria, cancroſa, eryſipelatoſa, febrili, rheumatica, podagrica, varioloſa, morbilloſa, ſcabioſa, ſcorbutica (cui paſſim paralyſis jungitur) venerea &c. quæ anamneſi noſcuntur, cauſisque retropellentibus cognitis.

VII. *Conſenſualis* partibus cum cerebro magnum conſenſum habentibus affectis. *Stomachica*, *inteſtinalis*, dum nempe ventriculus, vel inteſtina acido laborant, ut in infantibus frequens: *Noſcitur* ructibus acidis, odore acido, voracitate, fæcibus livideſcentibus, ſignis nimirum acidi ſpontanei. *Sordes* ad ventriculum, ingluvie prægreſſa, nauſea, vomituritione, ructu &c. cognoſcendæ; *Vermes*, tum in inteſtinis, tum ventriculo latitantes, ſignis vermium dignoſcenda hæc ſpecies eſt. *Nephralgica* a calculo renum vel uretherum; *Uterina* utero quomodocunque affecto.

VIII. *Hyſterica*, a temperamento, periodo, leviori cauſa convulſionem excitante, ſymptomatibus hyſtericis convulſionem prædicentibus, vel eam concomitantibus, urina limpida copioſa diſtinguitur.

IX. a *Venenis*. e.g. a Datura, majori doſi aſſumpta (k) a ſolano; fungorum venenatorum odore (l); auripigmento (m); a ſecali rubiginoſo epidemicam convulſionem ex Mullero citat clariſſ. *Sauvages* (*), cujus initium erat artuum laſſitudo, frigus, & horripilatio vaga, capitis dolor, anxietas præcordiorum, augmentum ſubſultus ſpartici digitorum & pedum, tendinum ac muſculorum ſub cute febris, æſtus, ſtupor, delirium, pectoris conſtrictio, dyſpnæa, aphonia, con-

(k) Perilluſtris Profeſſor Crantz Mat. med. pag. 48. T. III.

(l) Idem ex Foreſto pag. 88.

(m) Illuſtriſſimus L. B. van SWIETEN.

(*) in Noſologia method. T. II. P. II. pag. 49.

convulſiones horrendæ in artubus præeunte formicatione. Status convulſionum & dolorum atrocium, paroxyſmi vehementes, cum vomitione, vel diarrhœa, vermium dejectione, ſiti, & in juvenibus bulimo: Declinatio circa 11. aliis 20 diem, ſudores copioſi, exanthemata purpurea, in quibusdam tabes, in aliis ſtupor capitis, artuum rigiditas.

X. Ante Eruptionem variolarum, morbillorum aliorumve quandoque exanthematum, quæ convulſio vero iis prodeuntibus ceſſat, imo potius diſcretas prædicit. (n)

XI. Intermittentis febris tertianæ vernæ ſymptoma poteſt eſſe convulſio a ſolo violentiori motu humorum per cerebrum nata, aut in ipſo initio ingruentis talis paroxyſmi, dum velox, parvus & ſæpe intermittens pulſus turbatam circulationem indicat.

XII.

(n) Sydenham in differt. epiſt. pag. 459. & aliis in locis.

XII. *Habitualis*, noctu ac interdiu durans, eaque vel *univerſalis* omnes corporis partes prehendens, vel *particularis*, nempe capitis, pedis, pollicis pedis, diu & per periodos rediens.

XIII. *Flatulenta* Gorteri (o); quæ vage oberrat nunc hanc, nunc illam partem afficit; aliis vero dicitur ea, quæ partem inflari facit; eique opponitur convulſio *coarctans*.

XIV. ab *Ononia*, hujus exempla varia refert celeberr. *Tyſſot* (p).

II. CHOREA S. VITI.

Eſt ea convulſionis ſpecies, ubi membra inſtar ſaltantium moventur. (q) quam ita deſcribit *Sydenham*: " Pueros, " puellasque a decimo ætatis anno ad " pubertatem usque invadit, prodit ſe " clau-

(o) Compendio med. cap. de convulſ.

(p) In tractatu de manuſtuprat.

(q) Sydenham in ſchedul. monit. de novo febris ingreſſu.

" claudicatione, vel inſtabilitate cruris
" alterutrius, quod æger poſt ſe trahit
" fatuorum more, poſtea manum ejus-
" dem lateris pectori, vel alii alicui
" parti applicatam, nullo poteſt conti-
" nere in eodem ſitu vel horæ momento,
" ſed in alium ſitum, aliumqne locum
" convulſione quadam diſtorquebitur,
" quidquid æger in contra nitatur. Po-
" culum potu repletum recta via ori
" admovere nequit, ſed mille geſticu-
" lationes circulatorum inſtar prius ex-
" hibet, donec tandem forte fortuna la-
" biis propius apponens, liquorem ed
" repente in os injicit, & avide haurit,
" tanquam miſellus id tantum ageret,
" ut dedita opera ſpectantibus riſum
" moveret" hæc Sydenham. Quando-
que pedes afficit, ut non niſi miras inter
geſticulationes incedere queant.

Differt

I. *a* Tarantiſmo, *cujus paroxyſmus incipit a mœrore, ſolitudinis amore, quandoque furor, ululatus, veſtium indecora abjectio, in cœno volutatio, quorundam colorum, ut nigri averſatio, aliorum amor accedunt, omnes ab inſtrumentis muſicis pulſatis e ſomno & mœſtitia excitati per triduum & ultra ſaltant ad ſudorem usque, a diſſonantiis, aut ingratis modulaminibus pejus habentes, alta ſuſpiria trahentes, ſique defuerit auxilium in caro morientes: quovis anno eundem paroxyſmum eodem tempore experiuntur.*

II. *a* Chorea S. Viti ab Horſtio (r) *deſcripta (licet hæc forſitan magis proprie nomen mereatur, & ea Sydenhami ab hac nomen ſuum mutuata ſit) quæ talis erat, in circulo ſueviæ juxta Ulmam, etiam in Haſſia inferiori erant templa, & ſacella ſancto Vito dicata, ubi præſertim mulieres circa feſtum hujus ſancti quolibet anno menſe Majo concurrebant, ibique intonato organo ſaltu, cum perturbatione mentis nocte dieque ſe exercebant, donec exſtaticorum inſtar corruerent, qua ratione ſibi reſtitutæ*

(r) Libro 2. obſerv. medicinal. & epiſt. med. ſect. VII. pag. 374.

tutæ ſanitati videbantur, nihilque per annum ſentiebant, ſecus membrorum inquietudine tenſivis artuum doloribus, una cum laſſitudine ſpontanea, & capitis gravitate torquebantur, donec anno ſequenti ſaltum repeterent.

III. *a* Melancholia *ſaltante quacunque, in qua mens non conſtat.*

Species

I. *Plethorica* Sydenhami, quæ repetitis V. S. ac catharticis ſanabatur: temperamento ſignis plethoræ dignoſcenda.

II. *Pituitoſa*, a pallore, torpore, habitu paſtaceo, & reliquis ſignis pituitæ cognoſcenda.

III. *Verminoſa* quam ſigna vermium docent.

IV. Sine materia, in quibus major irritabilitas, ſeu ſyſtematis nervoſi major mobilitas peccat, cauſis reliquis convulſionum abſentibus, facilibusque a levi irritamento affectionibus cognoſcenda. An non huc referri poteſt mirum illud

mor-

morbi genus? quod a clariſſ. *Sauvages* (*) *Scelo tyrbe feſtinans* ſeu *feſtinia* appellatur, ubi ægri dum gradi volunt, currere coguntur, de qua *Gaubius* ita loquitur (s) " eſt & ubi muſculi recte quidem ad vo- " luntatis nutum in actum concitati, in- " juſſa dein agilitate, atque impetu non " reprimendo motus ſuos accelerant, " mentemque invitam præcurrunt. Vi- " tium, loquelæ muſculis frequens, nec " his tamen proprium: Vidi enim, qui " currere, non gradi poterant. Ha- " bet iſta volubilitas aliquid ſpaſmodi- " ci, hujusque adeo loci eſt " Deeſt flexibilitas in fibris muſculorum, unde motus breves edunt, & conatu ſeu impetu ſolito majori, cum reſiſtentiam illam ſuperare nituntur, velut inviti feſtinant, ac præcipiti, ſeu concitato paſſu gradiuntur " hæc Sauvages, adultis ſenibus

(*) in Noſol. method. T. II. P. II. pag. 108.
(s) in Inſtitut. pathol. §. 751.

nibus morbus frequens; rarum hunc morbum vidit idem *Sauvages*, vidit *Carquet*, vidit *Gaubius*; ac eum nonnullis noſtrum ante aliquot annos in homine inter pauperes ad noſocomium praxeos accedentes Magnificus Profeſſor *de Haen* exhibuit, qui eadem hac occaſione jam tales caſus ſua in praxi ſe obſervaſſe narravit.

In loquela hic affectus *Volubilitas* dicitur, qua *Lingua præcurrit mentem.*

Clariſſimus *Gaubius* loco citato quæſtionem movet, an etiam in ſpontaneis motibus ſimilis morbus obtineat? "Credas, ait, quum ingeſta celerrimo per inteſtinorum volumina, trajectu ano exturbantur, motum periſtalticum ita affligi."

III. TREMOR.

Eſt vacillatio muſculorum inter tonum & laxationem. Contractio nempe

& relaxatio muſculorum per breviſſima ſpatia, ſine ſenſu acuto frigoris.

Differt

I. a Paralyſi, *quod mox reſuſcitetur muſculi tenſio.*

II. a Spaſmo, vel tetano, *quod muſculi tenſioni mox ſuccedat laxatio.*

III. a Convulſione *per violentiam contractionis, & per ſpatia; nec in omni tremore pars libere elevata alternis vicibus proprio pondere deprimitur, ſed viget etiam tremor in artu ſuſtentato.*

IV. in Rigore *febrili, eſt ſenſus acutiſſimi frigoris, cutisque corrugatio ſubita.*

Species

I. a *Plethora* (t), ex facie rubra, arteriarum plenitudine, ſuppreſſis evacuationibus, ſignisque aliis plethoræ cognoſcenda.

II.

(t) tale exemplum in Stymargi famula Hipp. libro II. Popul. ſect. IV.

II. a defectu humorum; quæ ex prægreſſis evacuationibus, collapſis vaſis, debilitate cognoſcitur. Huc & ea reconvaleſcentium pertinet, quæ a defectu ſpirituum oritur; item quæ afficit, nimiis ſe laboribus defatigantes, maxime ſi a tenera ætate, jam ad hos adſtricti fuere.

III. ab immeabilitate humorum; in initio præſertim morborum; dum ſigna docent, pulmonis, & encephali actiones læſas eſſe, quia ad integritatem actionum, quæ ab his viſceribus pendent, liber tranſitus vitalis liquidi per minima vaſa requiritur.

IV. a *potu*, tum tepido aquoſo, tum & frequentiſſime abuſu vini, aut ſpirituum fermentatorum, a potu Coffé (u) & maxime viliori (w) in copioſiori quantitate libato; ab opio, hyoſciamo, aliisque inebriantibus.

(u) Baglivius pag. 76.
(w) Löſeke in ſua Mat. med. pag. 252

V. a *Pathemate*, metu, ira, gaudio, libidine &c. maxime a terrore.

VI. a Vaporibus venenatis, mercurialibus, arſenicalibus, plumbatis, in deauratoribus, pictoribus, tinctoribus, figulis, foſſoribus, fuſoribus, uti hoc Cl. Ramazzini in tractatu de morbis artificum pluribus in locis docuit.

VII. Subſultus tendinum, ſymptoma febrium malignarum, morborumque acutorum capitis; & etiam ſignum inſtantium exanthematum, maxime miliarium.

VIII. a Saburra, cum linguæ ſorditie, ſignisque ſaburræ, talem refert *Sauvages*, (*) V. S. & emetico, ac catarcticis curatam.

IX. a Vermibus (x) ſignis vermium diſtinguenda.

X.

(*) in Noſol. method. T. II. P. II. pag. 57.
(x) Furſtenau in act. phyſ. med. N. C. Vol. IX. pag. 146.

X. Palpitatio, ſeu παλμὸς Galeni, quando quieſcenti homini involuntariis illis, & alternis motibus agitantur membra, & in hoc caſu cauſa irritans in ſenſorio communi quærenda (y).

XI. *Periodicus* per vices rediens (z).

XII. *Senilis*, qui præter debilitatem etiam conjunctam tendinum, muſculorumque duritiem habet.

IV. EPILEPSIA.

Morbus ſonticus, comitialis, ſacer, herculeus, caducus &c.

Eſt ablatio omnium ſenſuum cum concuſſu involuntario violento muſculorum.

Symptomata morbi notiora ſunt, quam ut indigeant deſcriptione. Signa ſunt ſenſuum abolitio, & perturbatio motuum muſcularium.

(y) Illuſtr. Præſes §. 627.
(z) Idem ibidem ex Tulpio.

Terminatur plerumque ſomno opoplectico.

Differt

I. a Paralyſi, *in qua flaccida immobilitas muſculorum eſt.*

II. a Catalepſi, *ubi ſenſus quidem abolentur, ſed corpus ſitum illum retinet, quem primo momento invaſionis habebat.*

III. ab Apoplexia, *ubi abſunt convulſivi motus.*

IV. a Convulſione, *ubi mens præſens manet.*

V. ab Hyſterica paſſione " *quod tempore*
" *paroxyſmi talis hyſterici mens conſtet, omnia*
" *audiant, intelligant, & finito paroxyſmo*
" *nullam mentis hebetudinem ſentiant, nulla*
" *ſpuma ex ore prodeat;* (a) *& quod maximum eſt, ante inſultum hujus morbi, limpida inodora, inſipida urina ad aliquot ſæpe libras excernitur.*

VI. *a ſceleſta hujus morbi fictione: cujus proh dolor! nimis multa exſtant exempla; quod in hac, licet motus convulſivos epilepſiæ proprios integerrime imitari poſſint, tamen ablatio-* nem

(a) Illuſtr. Commentator §. 1075. N. 4.

nem ſenſuum procurare nequeant, hinc vellicationes, inuſtiones, cauteria &c. fraudem detegent.

Species

I. *Acuta* dum primo morbi inſultu extinguuntur homines, hinc ut ait *Aretæus* " Epilepſiæ primus caſus pernicioſus eſt, " ſi acute invadat, nonnunquam enim " & uno die hominem perdit " talis fuit in parturiente primipara annoſa in ultimis nixibus puerperii. (b)

Chronica, plerumque, quæ frequentius redit.

II. *Chronica typica*, quæ ſtatis temporibus invadit, anni, lunæ mutationes, dies, horas &c. obſervans.

Vaga, quæ ad hæc ſe non alligat.

Diagnoſis ex diligenti obſervatione patebit.

III. *Exquiſita vel perfecta*, ubi haud præmoniti cadunt, cum ſenſuum omnium

 abo-

(b) Idem §. 1071.

abolitione, concuſſuque fere totius corporis.

Secus *Imperfecta* audit.

IV. *Hæreditaria*, quæ ex parentibus epilepticis propagatur in natos, iners ſæpe in filio, rediens in nepote, plerumque circa tempus pubertatis ſe manifeſtans. *Noſcitur* labe parentum ſimili, & ortu abſque ſufficienti cauſa applicata.

V. *Congenita*, quæ in parentibus non obſervata ex imaginatione matris gravidæ viſo epileptico excitata communicatur. *Noſcitur* dum proles brevi poſt partum ea corripitur, nec expulſo meconio, emendataque acrimonia, aliisque cauſis irritantibus correctis, ablatis, ceſſat.

Adventitia, quæ poſt nativitatem a cauſis applicatis invadit.

An etiam datur *Contagioſa*?

VI. *Recens*, *inveterata*, puerorum, adultorum, ſæpe vel rarius rediens, gravis, levis &c. ſponte patent.

VII,

VII. *Simplex*, *complicata* cum apoplexia.

VIII. *Idiopathica*, in qua cauſa prædiſponens, & occaſionalis, hærent in ipſo encephalo. *Cognoſcitur*, ſi vel nullum indicium ſit futuri paroxyſmi, hinc ſi nulla pars corporis prius afficiatur, vel ſi etiam hoc fiat, tamen affectio hujus partis tantum index eſt cauſæ in ipſo cerebro hærentis, quæ jam incipit actuoſa reddi, ut paroxyſmum producat (c), quod patebit, ſi parti primo affectæ topica medela abſque ullo effectu applicata fuerit.

IX. *Traumatica*, per contuſiones, vulnera &c. capiti illata; quod cognoſcitur ex prægreſſis, & dolore, gravitate capitis, vertigine &c. demum veſtigiis in cranio relictis.

X. *Plethorica*, ſignis plethoræ patet.

(c) Illuſtr. Commentator. §. 1078.

XI. *Seroſa* a ſero copioſo vel acri, in pallidis chloroticis.

XII. *Venerea* gummatibus, nodis, tophis cerebrum prementibus, vel & carie, ulceribus, aliisque ſignis luis venereæ cognoſcenda.

XIII. a *Pathemate*, terrore præcipue & metu, quæ tunc ſuos renovare ſolet paroxyſmos, dum ſimilis idea naſcitur, ac fuit illa, quæ morbum primo excitaverat.

XIV. *Sympathica*, ubi encephalos non afficitur primario, ſed alia corporis parte prius affecta in conſenſum quaſi trahitur; cauſa ergo occaſionalis extra illud hæret. *Cognoſcitur* dum ſigna paroxyſmum præcedentia extra encephalum hærent, & quidem in eadem ſemper parte corporis, atque a medela topica parti primo affectæ applicata paroxyſmus mutatur.

XV.

XV. *Stomachica*, ex inedia, crapula, acribus potulentis, medicamentis, venenis, maxime ab acido peccante &c. *Cognoſcitur* cardialgiis, ructibus, anorexia, dyſpepſia, nauſeis, vomituritione prægreſſis.

XVI. *Verminoſa*, dum vermes rependo per inteſtina, vel ventriculum, irritant has partes, vel rodendo lædunt; frequens eſt ante paſtum; ſignis vermium cognoſcitur.

XVII. *Uterina*, *hyſterica*: a ſexu, prægreſſis vel intermixtis inſultibus hyſteriæ, periodo, a cauſa leviori excitata, cognoſcitur: obſcuriſſimæ adſunt ſenſationes, incondita & inarticulata proferunt.

XVIII. a dolore magno periodico, renum, inteſtinorum, in dentitione &c.

XIX. a retentis evacuandis, ſic a ſuppreſſis catameniis, hæmorrhoidibus, lochiis, alvo, urina vel retenta mate-

ria

ria nocente, uti a retropreſſa ſcabie, achoribus, materia ulceroſa, eryſipelatoſa, varioloſa (nondum ad corporis peripheriam depoſita, ubi papulis in cute erumpentibus ſedatur hoc malum) morbilloſa, arthritica &c. Anamneſis rite inſtituta quoque veram diagnoſim dabit.

XX. ex ſtudio nimio, meditatione profunda, irritabilitate nimia ſyſtematis nervoſi, hinc a fragore, odore, luce vividiori, a venere nimia &c. oriri epilepſiam clarum eſt; & Diagnoſis ex harum prægreſſarum notione patebit.

XXI. *Febrilis*, quæ quotidianæ ſpeciem concomitabatur. (*)

V. SPASMUS TONICUS

Eſt muſculorum violenta contractio conſtans.

Dif-

(*) Sauvages in Noſol. method. Tom. II. P. II. pag. 97.

Differt

I. a Convulſione, *ſeu ſpaſmo clonico, quia in hac eſt alterna contractio & relaxatio muſculorum.*

II. a Paralyſi, *per rigiditatem.*

III. a dolorifica immobilitate, *in arthritide, rheumatiſmo, inflammatione, quia in his immobilitas voluntaria (ne nimirum dolor exacerbetur) eſt, in ſpaſmo tonico involuntaria.*

IV. ab Anchyloſi, *per articuli, oſſiumque immunitatem.*

Species

I. *Tetanus* eſt dum neutram in partem detortus homo, & inflexilis detinetur.

II. *Tetanus univerſalis* dum omnes muſculi corporis ſic affecti obrigeſcunt.

III. *Tetanus hemiplegicus Boneti*, ubi dimidium corpus longitudinaliter ſumptum, tetano correptum eſt, & dolet, altera medietas paralyſi & ſenſus privatione laborat.

IV.

IV. *Triſmus tonicus*, eſt tetanus maxillæ inferioris.

V. *Triſmus naſcentium*, recens natis a tertia ortus die ad duodecimam frequens (d), cum fletu inſolito obſcuriori, oris apertura minori, labiorum motu fere nullo, deglutitione contentorum in ore facili, 'lactatione fere impoſſibili, alvo ſtricta, muſculo quadrato inſtar ligni duro: Hyeme, cum aura frigida, frequentior morbus; paſſim lethalis, quo citius ab ortu prehendit.

VI. *Triſmus inflammatorius* a muſculorum maxillæ vel tonſillarum inflammatione.

VII. *Triſmus ex lue* venerea fimo equino curatus (e).

VIII. *Triſmus ex ira* (f).

IX.

(d) Heiſter compend. Med. pag. 337.

(e) Profeſſor de Haen Tom. VI. Rat. med. pag. 256.

(f) Idem l. c. pag. 158.

IX. *Triſmus traumaticus* a vulnere muſculorum maxillæ, aponevroſis crotaphitis, punctura nervorum, materia ulceroſa, vel ab acribus applicatis; irritatione per lapidem infernalem facta ad tibiam (g).

X. *Podagra dentium Strobelbergii*, eſt difficultas dolorifica os aperiendi ob rigiditatem muſculi crotaphitis, aut maſſeteris diu excrucians cum ptyaliſmo, pervigilio, & vicinorum muſculorum agitatione.

XI. *Spaſmus cynicus*, convulſio canina, riſus caninus, riſus ſardonius; juxta celeberrimum *Sauvages* (*) eſt conatus naturæ ad deprimendum diaphragma, & anhelitum cohibendum, ut in conatu ad egerendum, parturiendum, mingendum; convelluntur nempe (ut ait Illuſtriſſimus Præ-

(g) Idem l. c. pag. 160, & 161.
(*) in Noſol. meth. T. II. P. II. pag 20.

Præſes (h)) muſculi faciei ita, ut angulis labiorum retrorſum tractis, riſus incepti, quaſi ſpecies appareat, idque ab acerrimis venenis in ventriculo hærentibus provenit, e. g. a ranunculo paluſtri apii folio, ſeu ranunculo ſcelerato Linnæi, vel apii riſu aut herba ſardoa dicta; etiam a Croco, Datura, Aconito idem malum legitur ortum; nec non obſervante jam *Hippocrate* a læſione, aut inflammatione diaphragmatis; item in infantibus dormientibus quandoque tempore dentitionis faciem quaſi ſubridentis videmus, & ſolet hoc convulſiones præſagire.

XII. *Emproſthotonus* dum corpus in anteriora riget, pariter ſæpe cum difficultate reſpirandi.

XIII. *Opiſthotonus*, dum corpus in poſteriora riget; talis æger, " & clamat, " & nugas garrit quandoque, " vel " aliquando etiam vox intercipitur ſimul, " ut

(h) in comment. §. 909.

" ut morbo corripiuntur, aut inſani, aut
" atrabile perciti fiunt. " (i)

XIV. *Obſtipitas* eſt tonica capitis inflexio in unam alteramve plagam.

XV. *Crampus* eſt muſculi unius vel alterius ſubito accedens, & ſubito recedens rigiditas cum dolore ſæpe atroci in artubus maxime & collo, a frigida aqua, in natatione, vitioſo ſitu muſculi, in cholera, ad ſuram.

XVI. *Contractura*, dum ligamenta, quibus oſſa articulata nectuntur, obrigeſcunt, ſenſim invadens, in Auſtria frequens ab uſu vini auſteri ex uvis non ſatis maturis preſſi (k).

G CLAS-

(i) Hippocrates de morbis, Vander Linden T. II. pag. 104. XIV.
(k) Illuſtr. comment. §. 1051.

CLASSIS IV,

Exhibens morbos veſanos.

I. DELIRIUM.

Eſt idearum ortus non reſpondens externis cauſis, ſed internæ cerebri diſpoſitioni, una cum judicio & animi, affectu, motuque corporis inde ſequente (1). Seu eſt erroneum judicium a cerebri vitio oriundum.

Diagnoſim præbet quævis mutatio in moribus, geſtu corporis, voce, ſenſu, judicio facta; v. g. ferox reſponſum in modeſto, ſilentium in garrulo, & vice verſa, denudatio, verba obſcœna in caſto, collectio floccorum, captio muſcarum, cubatio in ventrem, ſpuitio frequens, non noſcere familiares, non dolorem, non ſitim ſentire cauſis præſentibus, oculi au-

(1) Boerhaave aphor. 700.

audacia (m) oculi frequenter moti (n) pulſus in præcordio (o) ſputa rotunda (p) dentibus ſtridere, quibus non familiare id eſt a pueris (q) rari circa latus dolores (r) &c.

Differt

I. *ab* Hallucinationibus, *quæ ſunt imaginationis errores ex vitio organi cujusdam extra cerebrum oriundi, judicium in illis non eſt læſum.*

II *a* Moroſitatibus, *quæ ſunt cupiditates aut averſationes depravatæ, judicio pariter illæſo.*

III. *ab* Anoea, *vel* Anoeſia, *ἀνόητος enim dicitur fatuus, rudis, abſurdus, qui neque intelligit, neque intelligitur.*

IV. *ab* Amneſtia, *quæ eſt memoriæ feriatio, ſeu oblivio ſenibus, & venere exhauſtis frequens.*

(m) Hippocrates Popular. Lib. VI. ſect. I. ad finem.
(n) Idem in Prænotionibus.
(o) Idem ibidem.
(p) Hippocrates Libro VI. Popular. ſect. III. & ſect. VI.
(q) Idem in Prænotionibus.
(r) Idem in Prædictor. Libro I.

II. AMENTIA.

Dementia, Fatuitas.

Eſt delirium mite univerſale citra furorem, & audaciam cum morbo diuturno: ſive eſt ineptitudo ad recte judicandum, & ratiocinandum. Amentes objectorum impreſſiones ſentiunt quidem, ſed ad eas non attendunt, non curant, & quaſi omnino indifferentes prætermittunt, harum conſequentias flocci faciunt, minime ſatagunt, omnia perinde negligunt, rident, cantillant in iisdem circumſtantiis, in quibus ſani de fame, ſiti, frigore gemebundi conquererentur.

Differt

I. a Melancholia, *quæ eſt delirium particulare circa unam rem, & plerumque cum moerore & triſtitia.*

II. a Mania *per abſentiam furoris.*

III. a Stupiditate, *in qua objectorum impreſſiones haud ſentiuntur; imaginatio & memoria deeſt,*

deeſt, nec ſtupide bene, nec celeriter capiunt dicta, hebetes, obtuſi.

Species

I. a *Venenis*, opio, hyoſciamo, datura, ſolano.

II. *Temulenta*, a vino, cereviſia, ſpiritu vini, immodice hauſtis, vel forma vaporis, balnei, clyſmatis applicatis.

III. a *Pathemate*, ex denegato potu, vel medicamento conſueto. (s)

IV. *Senilis* ſenes forte ob rigiditatem fibrarum res momentoſas pro nihilo, & nugis habent.

V. *Traumatica* ab ictu, lapſu, contuſione capitis.

VI. a *Siccitate*, refrigerio capitis.

VII. Ab aliis morbis, ſic frequenter poſt apoplexiam, hemiplegiam, morbosque alios ſoporoſos remanet.

(s) Acta edimburgenſ. T. VI.

III. MELANCHOLIA.

Eſt delirium diuturnum, & pertinax ſine febre, particulare, plerumque cum metu & triſtitia. Non tamen omnes melancholici triſtes ſunt, dantur enim, qui ſe ſuo in ſtatu felices reputant.

Differt

I. *a* Mania *per furorem, dein maniaci de plurimis, aut omnibus objectis promiſcue delirant.*

II. *a* Phrenitide *per abſentiam febris & furoris.*

III. *ab* Hydrophobia *ratione cauſæ, objecti & averſationis.*

IV. *a* Noſtalgia *ratione cupiditatis & amoris circa objectum.*

V. *a* Vertigine, Tinnitu aurium &c. *quod hi non uni objecto inhæreant, nec error a cerebro, ſed a cujusdam ſenſus organo dependeat.*

Species

I. *Melancholia ſine materia* ex cauſis prægreſſis, abſentia effectuum atræ bilis, irritabilitate ſyſtematis nervoſi majori, urina limpida copioſa dignoſcitur.

II.

II. *Humor atrabilarius* omnem circumeuntem humorem æquabiliter inficiens, qui eſt primus melancholiæ gradus. *Cognoſcitur* ex colore cutis primo pallidiori, dein flaviori, magis fuſco, nigro cum maculis ſimilibus; macie, torpore ad motum, ſolitudinis amore, affectibus animi pertinacibus, fixa cogitatione ad unam rem, in reliquis vero *ἀδιαφορία* &c.

III. *Morbus hypochondriacus* ubi illud craſſamentum atrabilarium ſanguinis ad viſcera abdominalia jam depoſitum hæret. *Docent* hunc perceptio gravantis ponderis circa præcordia nunc magis, nunc minus moleſta, anxietas, cita repletio, reſpiratio difficilis ob vaſa infarcta, digeſtio impedita ob bilis defectum, hinc corruptio ingeſtorum, unde ructus, ſpaſmi, alvus adſtricta, icterus pejor, & omnia mala prius dicta pejora.

IV. *Bilis atra* proprie dicta, ubi materies atrabilaria, quæ diu viſceribus im-

pacta hæſerat, a quacunque demum cauſa ſolvi incipit, & circulantibus humoribus denuo permiſceri; extricatur acre a tenacibus vinculis, quibus hactenus irretitum fuerat, & mobilius redditur; adeoque omnia mala priora multum auget, maxime vero aſſiduo putrefacti vapore venis recepto omnes functiones, in primis cerebri, perturbat. (t)

V. *Bilis atra turgens*, ſi ea nimirum ex motu citatiori, calore ſolis, victu acri, medicamentis acribus vel ſimilibus venenis, aut morbis nonnullis validis movetur, & ad maximam jam acrimoniam provecta eroſis viſceribus & vaſis vomicas format, ac humoribus circulantibus miſcetur. *Signa* hujus erunt terribilia ſymptomata, quæ pro varietate partis, ad quam materies defertur, varia oriuntur; uti apoplexia, paralyſis, deliria,

ma-

(t) Boerhaave aphor. 1102.

mania peſſimi generis, ſi ad cerebrum pervenit; febres immanes brevi omnia putrefacientes in genere arterioſo ſi eſt; nauſeas, vomitus, dyſenterias atrabilarias, tympanitidem, dum in viſceribus naturalibus ſedem fixit; convulſiones horribiles, gangrænam, indolentiam, tandemque placidam fere mortem (u).

VI. *Melancholia amatoria*, ἐρωτομανία, tales objectum amatum pro Numine quaſi venerantur, omnibus ejus nutibus obſequioſi, ac quaſi devoti, ejus abſentia contriſtantur, præſentia exhilerantur, alimenta, ſomnum, negotia ſua parvi faciunt. Si diſſimuletur, cognoſcitur ex coloris ſubita mutatione, & pulſus acceleratione ad conſpectum objecti amati.

VII. *Melancholia religioſa*; eſt moeror, & immodicus metus judiciorum Dei, cum defectu fiduciæ in eum.

(u) Idem §. 1104.

VIII. *Melancholia ægrorum imaginariorum*, ubi corpore bene valentes ſe ob momentaneos affectus in mortis periculo verſari conſtanter judicant, hinc moeſti, queruli omnes Medicos ſuis conſultationibus divexant; eloquentiſſimi ſunt in morbis ſuis fictitiis exponendis; Divites, otioſi, laute viventes, ingenioſi huic obnoxii ſunt morbo.

IX. *Attonita Bellini* (w), quam ſic deſcribit: "æger loco non movetur, imo
" nec ſitu, ſedens nunquam aſſurgit,
" ſtans nunquam ſedet, jacens nunquam
" ſe erigit, nec pedes agit, niſi ab ad-
" ſtantibus promoveatur, & loco pella-
" tur, hominum frequentiam non fugit,
" interroganti non reſpondet, licet di-
" ctis animum advertere videatur, mo-
" nita nihil curat, ac ſi ſurdus eſſet, ob-
" jectis viſui & tactui non attendit,
" qua-

(w) de morbis capitis pag. 440.

" quaſi cogitabundus, & cogitatione
" aliarum rerum diſtractus dormit, vi-
" gilat per intervalla, cibum ori admo-
" tum comedit, potum haurit. " &c.
Similem caſum in Noſocomio hiſpanico mihi videre licuit.

X. *Errabunda* Arabum Kutubuth. *Bellinus* loco citato eam ſic deſcribit.
" Ita nuncupata, quod errare ſoleat,
" & præcipue menſe Februario invade-
" re, in qua æger ne per horam quidem
" poteſt in eodem loco quieſcere, ſed
" cogitur huc illuc continuo vagari, ne
" ſciens, quo vadat, timidior eſt omni-
" bus melancholicis, hominum frequen-
" tiam fugiens, noctivagus per ſepul-
" creta, per ſolitudines, nec ſcit un-
" quam quid fugiat, quid quærat, quid
" velit. Corpus ſiccum & aridum, ocu-
" li concavi ſine lacrymis, eſucci, lin-
" gua arida, color corporis citrinus, ul-
" cera non raro in cruribus, quæ non
" conſolidantur.

XI. *Melancholia ſaltans*, talis quondam epidemica erat in Hollandia, vocaruntque *Choream S. Joannis*, plebeji hac tentati, veſtibus abjectis & nudi floribus coronati, reſtim ducentes per vicos & templa, ſaltando, cantando currebant, donec plures anheloſi humi procumberent, abdomen illis intumeſcebat; ut vinculis coerceri debuerit. Similem melancholiam *Horſtius* deſcribit Magdeburgi obſervatam.

XII. *Lycanthropia*, *Cynanthropia* eſt illa melancholiæ ſpecies, qua affecti bruta in omnibus imitantur, hinc cynantropia dum canes, lycantropia dum lupos æmulantur; & circa mortuorum monumenta verſantur, pallidi, ſiccis oculis & cavis, lingua arida, ſiticuloſi.

IV. MANIA.

Eſt delirium ferox diuturnum ſine febre. Ægri circa quævis objecta indiſ-

cri-

criminatim delirant ob imaginationis vitium, & ob ratiocinationis depravationem cum audacia & robore: robur in illis eſt immenſum, pervigilium incredibile, imaginationes horrendæ, frigoris & caloris ſunt patientiſſimi.

Differt

I. *a* Melancholia *gradu, melancholici triſtes, & anxii quidem ſunt, ſed nondum in furorem aguntur; melancholicorum delirium eſt plerumque particulare circa unum alterumve objectum, & circa id ex judicio erroneo conſequentias legitimas deducunt, maniaci vero circa quæcunque fere objecta delirant, male judicant, & ratiocinantur.*

II. *a* Phrenitide *per febrim differt, & quod in phrenitide caput & ſenſus ſedes mali ſint, in mania vero viſcera.* (x)

III. *ab* ebriorum furoribus, *atque etiam a ferocibus illis deliriis, quæ ex venenatis plantis aſſumptis ſequi ſolent, differt diuturnitate.*

IV.

(x) Illuſtr. van Swieten §. 1118. ex Aræeo.

IV. *ab* hydrophobia: *hydrophobi plerumque bene judicant, adſtantes monent, ut ſibi caveant, maniaci vero pravum nocendi, evadendique deſiderium caute diſſimulant.*

Species

I. a *Melancholia* atrabilaria, atra bile nempe aucta, acriori reddita, & per conſenſum, aut metaſtaſim cerebrum afficiente.

II. ex *Phrenitide*, dum febris ceſſat remanente vitio in ſenſorio communi.

III. a *Transfuſione ſanguinis*, a ſanguine nempe vaſis hujus hominis non proportionato, & totum ſenſorium commune turbante (y)

IV. Ab animi affectibus ſubitis & validis, præſertim ira in puerperis.

V. A febribus intermittentibus diuturnis & maxime quartanis, ſi per ſanguinis miſſiones frequentes, repetitas alvi pur-

(y) Idem §. 1125.

purgationes cura febrium tentata fuit (z). Nempe craſſior, & acrior ſanguis in vaſis encephali hærens, vel ſecreta inde liquida acriora turbare poſſunt ſenſorium communem & maniam producere.

VI. a *Plethora*, ubi ſanguis nimia copia diſtendit vaſa, vel a calore aeris rareſcit, aut a ſpirituoſis potibus, in flore ætatis, turbatur ſenſorium commune. Hæc *cognoſcitur* per ſigna plethoræ præſentis, calorem magnum inprimis in capite, ruborem faciei & oculorum, pulſationem validam arteriarum carotidum ac temporalium, & per cauſas grægreſſas.

VII. a Lochiis ſuppreſſis & in caput irruentibus, ut monet Hippocrates (a), ubi ſimul exhibet ſigna, dicit enim, quod fæmina hæc admodum rubicunda ſit, caput grave habeat, neque id citra dolorem movere poſſit, oculi etiam valde rubi-

(z) Sect. V. cap. I.

(a) de morbis mulierum vide Illuſtriſs. §. 11

rubicundi ſint; & ex ipſis tenuis ſanguis effluat &c.

Pariter Mulieribus quibuscunque ad mammas ſanguis colligitur, inſaniam ſignificat. (b)

VIII. a Vermibus in ſinubus frontalibus detentis pariter maniam ortam fuiſſe, exempla docuere; ubi ſigna certe obſcura, & forte a poſteriori hæc ſpecies innoteſcere poterit, nam excuſſis vermibus mania ceſſavit.

IX. *Mania*, cujus præcipuum ſignum in partibus genitalibus virorum eſt, camphora curanda; cujus exactam deſcriptionem brevi in lucem edet *expertiſſimus & feliciſſimus Practicus, Vir ſumme Hippocraticus Dominus Doctor* AUENBRUGGER.

V. DELIRIUM FEBRILE.

Eſt illud, quod tanquam ſymptoma febrim concomitatur.

Non

(b) Hipp. aphor. 41. ſect. V.

Non eſt ſemper perpetuum, & ſæpe absque cerebri primaria affectione adeſſe obſervatur (c).

Frequens eſt acutis potiſſimum febribus, putridis, dum ardentibus, tum malignis, continentibus ac remittentibus, imo & intermittentibus obſervatur.

Signa prædicentia quæ ſint, vide ſupra de delirio; ex delirio quandoque ſequitur Carus, Convulſio, aliave mala cerebri & nervorum.

Differt

I. *a* Dementia, melancholia, mania *per febrim.*
II. *a* Phrenitide *per furorem, & quod in phrenitide cerebrum primario affectum ſit.*
III. *a* Paraphrenitide *per furorem, & ſymptomata diaphragmatis affecti.*

Species

I. *Paraphroſyne* eſt, delirium non perpetuum, ſed in vigore febrium tantum præſens, maxime in vigore paroxyſmi febris

H

(c) Illuſtr. L. B. van Swieten §. 700.

febris intermittentis, ita ut finito paroxyſmo delirium ceſſet.

II. *Mite* dum ægri ſe quoddam objectum ſenſibus percipere exiſtimant, moniti tamen ab adſtantibus, facile vident ſe deceptos fuiſſe. *Gravius* dum indignantur illis, qui errorem corrigere ſatagunt. *Ferox* eſt id delirium, quod validi animi affectus, validique corporis motus concomitantur.

III. *Obſcurum;* tremulæ obſcuræ deſipientiæ, & ubi ægri continuo quaſi attrectando aliquid palpant; dum nempe ideæ perceptæ adiaphoræ ſunt, ſive non habent adjunctum illud placens, vel diſplicens, unde animi affectus, corporisque motus excitarentur, hinc eſt æque periculoſum, ac furibundum. Huc etiam *Delirium meditabundum* pertinet.

IV. *Delirium continuum;* intermittens, cum riſu; circa conſueta; circa neceſſaria. " Neceſſaria autem vocantur

" illa,

" illa, quæ ad ſuſtinendam vitam &
" curandum periculoſum hunc morbum,
" abſolute requiruntur. Sic ſi inſidiarum
" metu tales ægri ſomno abſtineant, te-
" nebricoſo in loco degere nolint, o-
" mnem cibum, potumque reſpuant,
" venenum ipſis propinandum ſuſpicati.
&c. (d)

V. *Idiopathicum* a plethora, obſtructione, inflammatione leviori cerebri aut meningum, impetu ad cerebrum aucto, refluxu impedito &c. Quæ omnia ex antegreſſarum indagine, diligentique examine eorum, quæ inflammationem, plethoram, ſpiſſitudinem &c. concomitantur, patent.

VI. *Sympathicum*, a ſordibus ad præcordia, ſive ex indigeſtili materia aſſumpta, & hic corrupta, ſive a contagio morboſo, vel a ſponte ſecretis liquidis, nec excretis tamen, ſed hic ſtagnantibus

(d) Illuſtr. L. B. van Swieten §. 774.

& corruptis natæ: ſignis ſequentibus indicantur, lingua eſt ſordida, ſapor amarus faſtidioſus, nauſea, vomitus, anxietas adeſt, præſertim ſi nulla ſigna doceant alias cauſas adeſſe, a quibus delirium exſpectari poſſit (e): Utero, renibus, nervis affectis, ſuis ſignis cognoſcendis.

VII. ex *Metaſtaſi*, *a menſium hæmorrhoidum* ſuppreſſione; *Noſcitur* cauſis ſuppreſſionis applicatis, tempore, juvantibus; ab *alvo*, *urina*, *perſpiratione* ſuppreſſis, facile noſcitur, ſi cæteræ cauſæ deſint: ab *exanthematibus*, varioloſa materia, morbilloſa, eryſipelatoſa &c. retropulſis; *materia febrili* metaſtaſim formante.

VIII. *Criticum* inſtantem denotans criſim, *cognoſcitur* coctione prægreſſa, reliquisque ſignis criticis præſentibus, die critico, brevique ſubſequente evacuatione, aut metaſtaſi critica delirium ſedante.

VI.

(e) Illuſtriſſimus van SWIETEN §. 701. ad finem.

VI. PHRENITIS.

Phreneſis, Phrenitiaſis

Eſt ferox, & perpetuum delirium a cerebro primario affecto cum febre acuta continua. *Cognoſcitur* ex febri acuta, pulſu duro, reſpiratione rara & magna, delirio feroci, inquietudine; ſomnis turbulentis, facie plerumque rubra, vultuoſa, adſpectu horrenda, oculis protuberantibus, trucibus, ſtillicidio narium (f).

Prædicitur iisdem fere ſignis, quibus aliud delirium, ſed pluribus & vehementioribus.

Differt

I. *a* Delirio febrili, *quod non eſt perpetuum, ſed tantum in acceſſione, nec ferox.*

II. *a* Paraphrenitide, *in qua non primis mox febris diebus delirium adeſt, ſimulque ſymptomata diaphragmatis affecti habentur, & reſpiratio difficillima.*

III. *a* Mania *per febrim.*

(f) Boerhaave aphor. 773.

Species

I. *Vera idiopathica*, in qua cum febre delirium ingruit, atque cerebrum primario affectum eſt; nullius alterius morbi ſedem alibi habentis ſigna præcedunt, ſed potius dolor capitis, vigiliæ, rubor oculorum, faciei, ſiccitas totius, mœror, oblivio ſubitanea, protervia &c. præcedunt.

II. *Symptomatica*, ubi alius præceſſerat morbus, & eum phrenitis exceperat, poteſt vero ea triplici modo oriri; 1. quod materies quæcunque acris excernenda, nunc retenta ad cerebrum feratur; 2. quod materies morboſa ſedi primæ non adeo tenaciter adhærens eam relinquat, & ad caput metaſtaſim faciat; 3. quod nil ad caput feratur, ſed reditus venoſi ſanguinis ab eo impediatur. Inde variæ phrenitidis ſpecies oriuntur, nunc recenſendæ.

III.

III. Phrenitis ab alvo ſuppreſſa, vel alba, urina retenta, pallida, decolori, tenui, cum ſuſpenſo nigro; ulcere tumente ſubſidente, hæc noſcitur cauſis prægreſſis bene examinatis.

IV. *Varioloſa*, 1. ante eruptionem variolarum a febre valida, atque hæc eruptis variolis frequenter ceſſat; 2. ante eruptionem ob regimen calidum (g), quæ regimine mutato, uſuque ſyrupi de meconio curabatur: 3. eruptis variolis, ubi metus eſt, ne puſtulæ varioloſæ interiora capitis obſideant. 4. a reſorpto tabo fere gangrænoſo in confluentibus (h).

V. *Exanthematica*, a morbillis, ſcarlatinis, miliaribus, petechiis, eryſipelate (i), a Plica polonica latente nec prodeunte, aut ea reſecta, decocto vel

(g) Sydenham Diſſert. epiſt. pag. 398.
(h) Illuſtr. van Swietén. §. 774.
(i) Hoffmannus Tom. II. oper. omn. cap. de phrenit. N. 5. 6.

linimento ex muſco clavato curanda (k).

VI. a Pleuritide, talem notavit *Sydenham* (l) quæ incepit a dolore capitis atroci, ſtupore, ac dolore articulorum, artuum tenſivo, totiusque corporis rheumatico, cum lingua magis alba, ſiti non multa, diſpoſitione ad ſudores; ſymptomata pleuritica primo anno, & vere ſubſequente aderant, ſanguis ſemper pleuriticorum ſimilis. Hiſce ſymptomatibus jungebatur delirium non adeo ferox, cum ſtupore, ſtertore profundo, ſomnoque per intervalla abrupto; V. S. frequens nocuit, enemata, epiſpaſtica, regimen frigidum, ſpiritus vitrioli cereviſiæ tenui inſtillatus magis profuere, terminabatur die 14. & pertinaciſſima primo poſt 20.

VII.

(k) Idem loc. cit. N. 4. pag. 134. ex Miſcel. N. C.

(l) Sect. V. cap. 2. an. 1673. 74. 75.

VII. A febri alia, calidis ſtimulantibus tractata; aut magnam ſanguini rarefactionem inducente, Sydenham docuit (m) dicit enim; Phreneſim novæ febri facile ſupervenire, quaſi hæc ſpecies febris cerebrum petere apta nata fuerit, hæcque phreneſis naſcebatur citius, ubi calidius juſto regimen adhibebatur.

Huc etiam referenda eſt ea, quæ ab hydrophobia circa finem vitæ oritur; item quæ ab Angina etiam leviori, abſque bonis ſignis evaneſcente, & metaſtaſim malam ad cerebrum faciente; atque in hoc caſu maxime delirium cum ſtudio naſcebatur (n)

VIII. *Peripneumonia* (o) *Angina magna* &c. reditum ſanguinis e capite impediente.

(m) in ſchedul. monitor. pag. 516.
(n) Illuſtr. van Swieten §. 774. ad finem.
(o) Hippocrates aphor. 12. ſect. VII.

IX. a *Dolore,* valido partis prægreſſo ſubito invadente v. g. auris (p), ab ileo (q) paronychia, diaphragmate inflammato.

MOROSITATES.

CUM

CUPIDITATE VEL AVERSATIONE.

VII. NOSTALGIA.

Eſt tanta ad parentes, conſanguineos, notos, patriamque redeundi cupiditas, qua denegata morbi graves morsque ipſa ſequitur.

Ab initio ad quæcunque laborum genera mox fiunt tædioſi, anheloſi, ſubito defatigati, alto mœrore detenti: omnem fugiunt ſocietatem, ut abſtracti ab aliis, Patriæ, parentum, amicorum, de-

(p) Idem Coacar. prænot. & in Prognoſt.
(q) Idem aphor. 10. ſect. VII.

deliciarum paternarum &c. ideas revocent, nemini ægritudinis cauſam declarant, dies ducunt in mœrore, anxietatibus, in ſuſpiriis, gemitibus, noctes tranſiguntur, vel plane inſomnes, vel triſtibus, & formidoloſis phantaſiis gravantur: inde effectus pervigilii, anorexia, virium proſtratio, emaciatio, tabes, aliave ſymptomata, quæ raro curari poſſunt, niſi ſpe patriam redeundi renata.

Invadit hic morbus juvenes præcipue mollius in parentum ſinu educatos, qui prima vice peregrinantes, amicis orbati, patriæ delicias mente revolvunt, maxime ſi duriorem, vel adverſam experiantur fortunam, ſi ob linguæ morumque differentiam aliorum ludibrio ſint expoſiti, ſi ea redeunt anni tempora, queis in patria deliciis peculiaribus, aut victu certo, quo nunc carere debent, frui licuit, ſi cantilenas patriæ delicias re-

vo-

vocantes cantant, vel audiunt cantari &c.

Subjecti plerumque ſunt Helveti, Vindi, maxime ſi ad militiam abripiuntur.

Differt

A Melancholia, *ratione objecti, ratione cupiditatis, & quod etiam ab objectis aliis haud afficiantur.*

Species.

I. *minus exquiſita, vel ſpuria*, eſt ea, quæ a ſolo vitæ genere, a paterno diverſo oritur, donec huic aſueſcant; hæc militiæ tyronibus frequens, præcipue Stiris, quod conſuetum illis pro jentaculo juſculum habere nequeant.

II. *Recens*, quæ nondum altas egit radices, nec graviorum ſymptomatum congerie ſe manifeſtat, quæ varietate objectorum, amica confabulatione, præcipue inter patriotas, ſpe facta reditus in patriam brevi futuri &c. ſanari poteſt.

In-

Inveterata, diuturnior omnem eludit operam.

III. *Complicata*, cum febribus continuis, intermittentibus, aliisve morbis, eo difficilior curatu; quo plus morbus alius adjunctus vires conſumit, Noſtalgia vero eas recuperare prohibet: nauſea, vomitus, anorexia hic ſæpe præſentes nil minus quam ſaburram in primis viis latitantem declarant, atque evacuantia peſſime conducunt.

VIII. HYDROPHOBIA, RABIES CANINA

Eſt morbus cum incredibili potulentorum omnium averſatione.

Rabies dicitur, cum quandoque tales ægri maniacorum inſtar furant, & vinculis coerceri debeant, canina nuncupatur, quia a canibus frequentius hic morbus homini communicatur; ſignum pathognomonicum eſt metus aquæ.

Ve-

Veneni communicandi modos, ejus citioris vel tardioris extricationis rationem, ſigna animalis rabidi, gradus &c. vide apud Illuſtriſs. Commentatorem §. 1136, & 37.

Differt

I. *a* Mania *ratione metus aquæ, & quod hydrophobi non inſidioſe adſtantes invadant.*

II. *ab* Adipſia, *in qua non eſt averſio potulentorum, ſed horum cupiditatis tantum ſuppreſſio, ſeu morboſa ſitis imminutio, vel abolitio; hydrophobi ſitiunt, appetunt bibere, ſed admotione poculi horrent, convelluntur.*

Species

I. *Deliteſcens*, ubi venenum latet fere nullo ſe manifeſtans ſigno: vulnus inflictum, dolor loci, vicinorumque, laſſitudo, gravitas, ſomni turbati cum convulſionibus, inquietudo, ſuſpiria, triſtitia, ſolitudo, hæc omnia bene perpenſa pro Diagnoſi multum facere poſſunt.

II. *Hydrophobia vere talis*, ſi aquæ, liquidorumque metus accedit, priora augen-

gentur, circa præcordia anguſtia, reſpiratio difficilis, ſuſpirioſa, horripilatio, tremor, proſtratus appetitus, vomitus glutinis, fuſci bilioſi, liquidorum deglutitio impoſſibilis, & ad eorum ori admotionem ſequentes tremores, anxietates, convulſiones, ſolidæ vero offæ deglutitio poſſibilis &c. hunc gradum declarant.

III. *Rabies ſumma*, quam docent, omnia enarrata maxime exacerbata, linguæ aſperæ exſertio, hiatus oris, vox rauca; ſitis ingens; furor ſummus ad conatum bibendi; ſpumæ in ore collectio, eam in alios exſpuendi conatus, ardor obvia quæque mordendi, pulſus & reſpiratio deficiens, ſudor gelidus, interim tamen mens conſtans; & in hoc ſtatu verſantes ægri intra quartum fere ſemper a primo gradu diem, morte convulſiva cum ſumma in reſpirando anguſtia pereunt.

IV. *Sponte nata*, quæ citra ullum contagium oritur, lenior plerumque, magisque curabilis; accedit hæc febribus acutis, peſtilentialibus, inflammationi ventriculi, aliisque. (r)

V. *Chronica*, in qua metus aquæ morſui aut communicationi veneni tarde accedit.

Acuta ubi cito: citius vero extricatur venenum, ſi id ſalivæ, immediate communicatum fuerit, in homine rigido robuſto, ſi tempore calido, ab animali ſummo in gradu rabido, aut ubi medicamenta inepta, calidiora adhibita fuerint.

VI. *Febrilis*, quæ febrim adjunctam habet acutam, quæ periculoſior eſt reliquis.

HAL-

(r) Illuſtr. van Swieten §. 1130.

HALLUCINATIONES

Sunt illi morbi, quorum præcipuum ſymptoma, eſt imaginatio depravata, & erronea.

Differt

I. a Delirio, *quod judicium in hallucinante non ſit erroneum e. gr. vertiginoſus, ſcit objecta externa quieſcere, ſed tantum ipſi apparent moveri.*

II. a Moroſitate, *quod hæc cupiditatem, vel averſationem pro ſymptomate primario habeat.*

IV. VERTIGO Δῖνος vel Δεῖνος

Eſt hallucinatio, qua objecta licet quieſcentia e loco moveri, vel in gyrum agi videntur.

Accidit oculis apertis, vel etiam clauſis, ubi cauſa quædam ſucceſſive valet agere in diverſa retinæ loca, non ſecus ac agerent radii ex objecto in gyrum acto vel moto prodeuntes, in retinam immiſſi.

Symptomata ita ſe habent, 1. objecta naturaliter quieſcentia apparent rotari quandoque ſubitiſſime. 2. color objectorum mutatur; 3. vacillat corpus; 4. oritur metus lapſus; 5. tremor & diffidentia in toto corpore; 6. viſus geminatus objecti unici; 7. morbo augeſcente fit nauſea & vomitus; 8. fit gravis tinnitus, bombus, ſuſurrus, & ingratus ſibilus aurium, ac ſi murmur delabentis cum ſtrepitu fluminis audirent; 9. ſubſequitur Leipothymia. 10. fit σκότως ſeu tenebricoſa caligo; 11. fit lapſus, qui videtur fieri propter paralyſim abſolutam muſculorum arbitrariorum, & conjungitur vel cum anaisthesia, vel cum acinesia, id eſt immobilitate, vel cum leipopſychia. 12. tandem terminatur vertigo, vel in ſyncopen, ſique tunc moriantur, vocatur ſyncope cordis, quandoque tamen inde reſurgunt, vel terminatur in Apoplexiam, vel Parapoplexiam, vel

vel Paralyſim, vel Epilepſiam, (*) aliosve morbos capitis quorum leviſſimus eſt vertigo, & a qua plures alii incipiunt, inque hanc fere ſemper terminantur.

Differt

I. a Delirio, *ut ſupra jam dictum.*
II. a Caligine, *dum nimirum* " *oculi tenebris* " *aut caligine offunduntur ex impediente cauſa* " *in oculo radiorum tranſitum ad tunicam re-* " *tinam: ut in humoris aquei obfuſcatione,* " *vel humoris vitrei, aut cryſtallini defici-* " *ente pelluciditate. Illa autem cauſa eſt* " *organica in oculo, & chronica, nec oritur* " *ita ex motu perturbato; neque ita illa cau-* " *ſa augetur, vel minuitur, ut vertiginis per-* " *ceptio habetur: quibus differentiis facile eſt* " *decernere caliginem a vertigine* " (s)
III. a Nutatione, *græcis dicta* κινησία, *quod in vertigine proprie tali motus ſemicircularis*

 videa-

(*) Boerhaave, Tractatu de morbis nervorum, quem edidit van Eems, T. II. pag. 577 - 80.
(s) De Gorter in Med. dogmat. cap. de vertigine pag. 67.

videatur, in hac vero contingat, ut objecta videantur ex alto deorſum delabi, vel quod pejus eſt, ex infimis ſurſum adſcendere;

Species

I. *Idiopathica*, quando cauſa vertiginem creans ſedem ſuam habet intra cranium, & ſenſorium commune afficit; hæc examine cauſarum patet.

II. *Plethorica. Cognoſcitur* ſignis plethoræ, calore, colore rubro, pulſu ad jugulum, ad tempora, venarum jugularium tumore &c.

Hanc cauſæ rarefacientes augent, imo ſola rarefactio etiam in non plethorico vertiginem cauſare poteſt, ut patet in vertigine ex ebrietate, inſolatione exorta.

III. *Habitualis* a cauſa fixa in cerebro præſente, quæ vel ſolam vertiginem, vel ſimul alium capitis morbum facit: uti ſunt mala ſtructura cranii, exoſtoſes, tumores, collecti humores, pus, &c. Signa vide in prioribus; ſi addere velis, quod

habitualis jam vertigo ſæpiſſime recurrat etiam non occurrente cauſa occaſionali.

Huc & pertinet traumatica a vulnere &c.

IV. *Perfecta*, quæ eſt cum lapſu, ſecus dicitur *imperfecta* ſive *levior*.

V. *ab inanitione*; humorum nimia evacuatione, poſt V. S. nimis largas, lochia copioſiora &c. quæ per ſe patent ex prægreſſis.

VI. a circulatione mutata, in febribus, graviditate, inſtantibus menſibus, hæmorrhoidibus, poſt V. S. dum vulnus clauditur.

VII. ex metaſtaſi tenuis acris humoris ad organum viſorium pertingentis, uti ſuppreſſo ichoris effluxu ex ulcere vel aure, materia catarrhoſa ad cerebrum delata, inhibita perſpiratione in iis, qui hac via acres humores evacuare ſolent; unde hyems, & auſtralis tem-

peſtas (uti *Hippocrates* jam docuit (t),) vertiginem inducunt.

VIII. a reditu ſanguinis e cerebro impedito, in angina, peripneumonia, catarrho &c.

IX. a detractione nimia ſpirituum, uti in perpetua cogitatione, ſtudio ſeveriori ultra modum, gaudio profuſo, nimia hilaritate; per venerem frequentiorem.

X. a tardiori ſpirituum fluxu, quæ frequens eſt in ſenibus, pituitoſis, inertia, laxitate, & humiditate, motuque languidiori laborantibus, in apoplecticis. Cognitio ætatis, temperamenti, morborum prægreſſorum diagnoſim hujus ſpeciei dabunt.

XI. *Critica* " ſi materies, quæ mor-
" bum fecerat, prius cruda, nunc cocta,
" & apta ad exeundum, incipiens mo-
" veri

(t) Aphor. 17. Sect. 1.

" veri per vim vitæ, afficit ſedem illam " principem " (u) & hæc in febribus acutis ſæpe facit ſperare, morbum brevi per hæmorrhagiam narium ſolutum iri, tuncque ſimul prurient nares, & capitis venæ micabunt, uti *Duretus* addidit.

XII. *Sympathica conſenſualis*, ubi nimirum cauſa ſenſorium commune afficiens non hæret in cerebro, ſed in alio corporis loco; ſic e. g. a ventriculo male affecto, hinc ab ingluvie, uti & inedia maxime in bilioſis (w) a flatulentia, a vermibus, aliiſque heterogeneis, venenis, in eo hærentibus, ab acido, lactis coagulo &c. etiam ab aliis partibus affectis, ſic ab utero affecto, hepate &c.

(u) Boerhaave tractatu de morbis nervorum &c. pag. 583.

(w) Sanctorius de inſenſ. perſpirat. aphor. 321. & aliis. cum notis Gorteri.

XIII. a nimia mobilitate, uti in hyſtericis, melancholicis, delicatulis, in infantibus a levi cauſa oritur.

XIV. *Accidentalis vel fugax* a circumgyratione corporum extra nos poſitorum, ſi fixis oculis diu conſpiciantur, intentus aſpectus rapidi fluminis, vel rotæ aut molendinæ celerrime circumactæ, vel nivis cadentis, aut præcipitii, a vectione in rheda, agitatione navis, concuſſu ſellæ, tremore terræ, ſtatione in alto, anguſto, prærupto loco, maxime ſi nulla tali in loco adfuerit fultura, quam quis poteſt apprehendere, a rotatione corporis circa idem centrum, quæ quo velocior eſt, & circulus minor, eo citius pariet vertiginem.

DE DOLORE CAPITIS.

Capitis dolor eſt triſtis, ac moleſta animæ ſenſatio a præternaturali nervorum capitis diſtractione oriunda.

Differt

I. *ab* Ophtalmia, otalgia, odontalgia *ratione ſedis.*

II. *a* Carebaria *quæ tantum eſt gravitas capitis, niſi quis hanc pro ſpecie cephalalgiæ habere velit.*

Species

I. *Externus*, qui ſedem ſuam in cuti, muſculis, pericranio habet. *Noſcitur*, quod compreſſione aut miteſcat, aut intendatur.

II. *Internus*, ſi partes internæ affectæ ſunt; & hinc nulla in eo a compreſſione mutatio contingit, etenim oſſa illam impediunt.

III. *Recens* & dicitur *Cephalalgia.*

IV. *Inveteratus*, & vocatur *Cephalæa.*

V. Dimidium latus occupans, & *Hemicrania* audit.

VI. in puncto ſæviens & *Clavus* nuncupatur.

VII. *Idiopathicus*, ubi mali ſedes ipſo in capite ſive externe, ſive interne hæret. *Noſcitur*, quod ſtabilis ſit & permanens, nec aliarum partium ſequatur affectus.

VIII. a Plethora; ſigna hujus, diagnoſim dabunt.

IX. *Traumaticus*, a vulnere, contuſione, humore intra tabulas cranii collecto (a), a carie tabularum cranii, diploe; a tumoribus, exoſtoſi, nodis, tophis, a ſpinis e cranio emiſſis (b), a ſex oſſiculis ex ipſa ſubſtantia oſſeſcente proceſſus falciformis enatis (c) a lapillis intra cranium collectis, a vermibus præſentibus, quorum plura apud authores exſtant exempla; a ſeparatione duræ

(a) Bonettus T. I. obſ. 102. pag. 61.
(b) Idem ibidem obſ. 104. pag. 62.
(c) Idem obſ. 113. pag. 68.

matris, nimirum ex figura convexa preſſæ in concavam & cerebrum ita introrſum prementis, ut cranio ablato manſerit foſſa ingens (*) &c. Hæ cauſæ fors ex debite inſtituta anamneſi, ex duratione, ſitu, variis circumſtantiis, abſentia cauſarum aliarum excitantium, aliquando conjecturari poterunt, licet ſæpe primo per Anatomen detegantur.

X. *Febrilis* cum conjuncta febre, de qua dicit *Hippocrates* (d) " ſi doluerit " caput, & ex hoc febris accedat, & " hinc non ſedetur: dolore non ceſſan" te febris non judicatur. "

XI. *Criticus* maxime hæmorrhagiam narium, vomitum &c. prædicens; ſigna inſtantis criſeos hanc ſpeciem declarabunt.

XII. *Metaſtaticus* a materia evacuanda retenta vel retropulſa, & ad caput de-

(*) Boerhaave Tractatu de morb. nerv. a van Eems edit. pag. 34.

(d) de judicationibus.

depoſita; ſic a *tranſpiratione* retenta ſtatim perſentitur magnum capitis pondus, magnusque dolor gravativus (e), inde patet, cur illi, qui a cœna præprimis in æſtate auram frigidiuſculam magis quam par eſt, quærunt, nocte, vel die poſtero gravativum capitis dolorem ſoleant pati (f) & pariter habetur ratio frequentioris fæminis carebariæ a mala ventilabrorum conſuetudine (g): a Scabie ulceroſa retropulſa (h), ab impedita evacuatione ſanguinis per menſes, hæmorrhoides conſueta, ab ipſa etiam alvo, urina retenta; ab arthritica, rheumatica &c. materia, locum ſuum externum deſerente, & caput petente.

XIII.

(e) Sanctorius de inſenſ. perſpir. aphor. 344. cum not. Gorteri.
(f) Idem aphor. 157.
(g) Idem aphor. 160.
(h) Hoffman Tom. IV Part. III. pag. 91.

XIII. *Hyſtericus*, ſæpe in puncto tantum ſæviens, & inde clavus hyſtericus dictus; frequentiſſimus certe omnium, Medicos haud raro multum excrucians, maxime ſi fæminæ ſint delicatulæ, a leviſſimis cauſis afficiantur &c. Temperamentum, locus doloris, aliæque hyſtericæ conſtitutionis cauſæ diagnoſim procurabunt.

Hic obſervationem in æternum mei venerandi Patroni Doctoris *Auenbrugger*, ſaltem ab eo accuratius perpenſam, ſilentio præterire nequeo, ubi Cephalæa, aliive dolores in fæminis oriuntur, ex mala conſuetudine, quod per multos dies ſine potu vivere queant, & in tali caſu etiam optima antihyſterica, præſtantiſſimaque alia medicamenta non multum efficiunt, & ſalus tantum in diluentibus verſatur, unde feliciſſimus ille Practicus vel innocuum infuſum pro majori fide præſcribere ſolet, vel prudentiores magna

gna patientia, ſollicitisque precibus eo perducit, ut debitam de die aquæ quantitatem ebibant, & ſic chronicos tales dolores radicitus curatos teſtis videram.

XIV. Ex nimia debilitate arteriarum encephalon petentium, aliunde membrana muſculari deſtitutarum, quale vitium " in teneris virginibus & delicatis mulieribus, quibus tota facies a minima " cauſa ita rubeſcit, ut earum habitus " ſæpe uno momento mutetur. (*) In quo caſu aliis appropriatis medicamentis non juvantibus, ſetacea felicem præſtitere ſucceſſum.

XV. *Syphiliticus*, qui patet, dum noſco hominem aphrodiſiis morbis laboraſſe, male tractatum fuiſſe; ſi dolor major in lecto, & de nocte, quam de die ſe ſiſtat.

XVI.

(*) Boerhaave tract. de morb. nervor. a van Eems edit. pag. 129.

XVI. *Periodicus*, ex paroxyſmo debito tempore redeunte cognoſcendus.

Huc pertinet, meridianus, diurnus, nocturnus &c.

XVII. *Conſenſualis*, *Sympathicus*, ab alterius partis affectu dependens, ita, ut dum affectus ille ſuſcipit incrementum, dolor capitis intendatur, dum vero remittitur, conquieſcat; ſic a ventriculo male affecto, a muco, coagulo, bile &c. in eo collectis, a vermibus, ab affecto utero &c. Vix enim in corpore locus, qui non cum capite conſenſum habet, & hinc cauſa cephalææ eſſe poterit; tale memorabile exemplum in *Baglivio* legitur (i), qui obſervavit Hemicraniam in nephralgia ex eodem latere, quo calculus dolorem creat, cum pulſu ejuſdem lateris parvo, & depreſſo.

(i) Cap. IX. de fibra motrice pag. 335.

Errata	Pagina	Linea	Corrige.
mens	in præfatione	13	meus
poſt ſi	9	11	ſcio
vomitualis	18	20	vomitu talis
§. pag. 73. pag. 725	21	in citatione	§. 73. pag. 725
fruquens	22	16	frequens
ſangeinis	ibidem	17	ſanguinis
Subeth, Avicennæ	25	17	Subeth Avicennæ
difficuter	30	13	difficulter
ab uſu	68	4	abuſu
ſpartici	74	15	ſpaſtici
cute febris	ibidem	17	cute, febris
liquorum ed	77	14	liquorem de
ſcelo tyrbe	80	2	ſcelotyrbe
cataracticis	84	17	catharticis
opoplectico	86	1	apoplectico